


Pictorius
Sermorum
Convivalium









Inv. F.G.H.

GEORGII PICTORII VILLINGANI MEDICI, SERMONVM

Conuiualium apprimè utilium, Libri X. deq; Ebrietate Lusus quidam.

Item,

DE SVBLVNARIVM DAEmonum

ortu, natura, illusionibus, &c. et quomodo pellendi sint isagoge. Vnà cum Epitome de Magiæ cæremonialis seu Goetiæ speciebus. Quibus annexa est Resolutio, Vtrum Sagæ ignis mulcta damnandæ sint.

Præterea,

DE PHARMACANDI

comprobata ratione libri II. per Theodoricum Vlsenium Med. carmine conscripti, & per eũdem D. Pictorium Scholijs illustrati.

His accedit quoq;

Q. SERENI SAMONICI LIbellus

de omnium morborum cura, metrica oratione conscriptus, & eiusdem D. Pictorij commentarijs explanatus.

BASILEAE.

Cum priuilegio Cæs. Maiest.

REVERENDO PATRI AC DOMINO, DOMINO IOANNI, DIVI- na fauente clementia monasterij sancti Georgij Herciniæ syluæ abbati dignissimo, domino & mecœnati suo, GEORGIVS Picto- rius doctor medicus salu- tem optat.

SIC me capit in- terdũ fructuosè ociandi delicio- sa cupido, reue- rende Pater ac Mecœnas ter maximè, ut suc- cisiuis horulis, longè lateq́; re- dolẽtia clarissimorum autho- rum, flores decerpendum, ad uiuum expressos, ingrediar ui reta: quos pro ritu Ionico, me- orum Conuiuiorum mensis, uelut coronamenta quædam,

ut ſympotas delectent, in unũ compingo: & typis, ut multis proſim, excudendos propenſius curo. Minimè tamen abſque fidelisſimi tutoris additamento, qui Herculis inſtar, uirtutum ſuarum claua, liuidulorum rancidos latratus, quaſi Cerbereos extundat: & dum Ætna ſpirat inuidiæ, Aiacis clypeo, ictus omnes ſtudioſè, uelut ſtrenuus miles, excipiat. Deliberãti ergo mihi, reuerende Pater, quem hiſce Sermonum Conuiualium floſculis, Herculem eligere uellem: tù mihi ex multis præſtantibus uiris non fortuitò, ſeu incidenter occurris, ſed Genius quidam bonus,, ut uirtuoſum eligam,

gam, qui rerum iudicium habeat, in aurem susurrat. Quũ ergo omnes illas nobilissimas uirtutes in te sitas nouerim, quas Euangelij tuba Paulus Timotheo scribens, in episcopo, quod est in suos speculatore, deposcit: id est, cùm te hoc modo sobrium esse sciam, ut eo uirtutis genere nemini habearis secundus: tãta morum ꝓbitate elucescas, ut cunctis planè sis mõstrabilis: tanto eruditionis honestamento fulgeas, ut abbatum uix alius reperiatur, qui pedem sequatur: tam fugias superbiæ turpissimam labem, ut saltem humilitate fruaris: tam item crudelissimæ iracundiæ uieus, ut

ſolùm in omnes humanitate
& manſuetudine gaudeas:no
lo dicere, non ea te impediri
gangræna auaritiæ, qua plerũ
que religionis diuexantur pri
marij, dum hoſpitalis es, mu-
nificus, liberalis, & irreprehen
ſibilis, quod eſt per omnia uir
tutis abſolutiſsime Pater. Te
igitur eligo, inquam: & hoc
Floſculorũ munus, ceu Picto
rij mnemoſinon tibi nuncupa
tum, plena manu offero & de
dico. Piè obſecrans, ut pro eo
candore ac comitate, quo ſplẽ
dicas; hoc literarium munus
obuijs ulnis accipias. Quod
te facturum habeo perſuaſiſ-
ſimum, quum nouerim apud
Antiſtitem opulentum & li-

teratum, auro argentoq́ pre-
ciosius esse id donationis ge-
nus, quod ex Promptuario
emergit literario, quàm quod
ex Persiæ gazis, uel Crœsi fa
cultatibus donatur. Non i-
gnoro profectò, maioribus
quibusdam tantum heroa fu-
isse salutãdum, proindeq́ per
me temerè factũ. Sed anima-
uit me, genuina tua in Studio
sos omnes beneuolentia. Et
recordabar, quanta facilitate
olim magni Principes, uel
modici momenti donula ab
egentissimis acceperint. Et
quòd dijs lacte sacrificarint
inopes rustici, thure non præ
sente. Vale reuerendissime
Pater, diu saluus & sanus, ut

diutius Reipublicæ Christia-
nę, & morum honestate, & do
ctrinę synceriores fulgore prę
sis. Ac Pictorium, qui in tuo-
rum clientulorum album cen
turiari cupit, amore prosequi
ualeas. Datum Ensishemij,
anno facta incarnatione Ver-
bi, sesquimillesimo quinqua-
gesimo nono, die octa-
ua mensis Iu-
lij.

CANDIDO LECTORI PICTORIVS S. D.

NON dubito, uelut ex ouo quosdã progressuros Aristarchos, impendiò Catonianos, proclamantes, Medico potissimùm seni, non conuenire leuis argumenti scribere Epicilicea, hoc est Conuiualia: sed grauiora quædam, pro sua professione habilia, debere ad manus sumere. Vbi (humanissimè Lector) te rogatum uolo, hos moneas, ne id uitio mihi uertant, quod alijs palmarium fuit & honorosum. Scripsit enim Xenophon, Socratis auditor, citra omnium calumniã, minimeq; à sua philosophia distractus, Reipublicæ literariæ conuiuia proficua. Et Athenæus dipnosophista Alexandri symposium, sine studij sui iactura, propter omnigenas lautitias celebre. Lucianus item Samosatenensis, Lapitharum nusquam non

laudandam conuiuentiam: ac Plu
tarchus Cheronæus, uir ex asse for
matus, eiusdem farinæ nouem li-
bros: Macrobius Aurelius, septē.
Ne commemorem, qui annis pau
cis elapsis, eadem anchora nixi, si-
milia maxima cū laude dederunt:
uelut est Philelphus eques auratus
& poëta, qui rem Astronomicam
concernentes, duos pulcherrimos
libros Conuiuiorum exhibuit, ac
tertium de Mediolani negocijs. Et
Iouianus Pontanus, Alphonsi re-
gis Neapolitani præceptor, qui de
Conuiuentia librum sex capitibus
elegantissimum absoluit. At Pogi-
us Florētinus orator, pollice utro-
que commendatus, qui non dispa-
ris argumēti disceptationes tres in
unum compinxit. Cum Peutinge-
ro per Conuiuales sermones Ger-
maniæ mira describente. Moneas
itē, Lector amice, ne per hæc, à me-
dico studio me sequestrante dijudi
dicet: aut in foro meo segniorē me
laborasse arbitretur. His enim Ser-
monibus

monibus temporibus ſubſecundariꝭs tantùm, & quando à labore diuerticulum habere ſtatueram, inſudaui. Quo à te impetrato, plurimũ me tibi debere fatebor.

Vale, optime Lector, diu ſaluus. Datum Enſishemiꝭ, Anno ſalute orta milleſimo quinquageſimo nono, die decima menſis Iuliꝭ.

OMNIVM AVTHORVM

nomina, qui in hoc opere citantur.

Cleo-

Iulius Pollux
Iunius Dentatus
Iustinianus

L

Lactantius Firmianus
Laertius
Leuiticus
Lippus poeta
Liuius
Lucianus Samosatenus
Lucius Apuleius
Lycurgus Lacedæmonius

M

Macrobius
Marcus Marro
Martialis
Matthæus de Gradibus
Metellus

N

Numeri

O

Orpheus
Ouidius Naso

P

Pacuuius
Paulus Aegineta
Paulus apostolus
Pausanias
Phauorinus
Philelphus
Philostratus
Pindarus
Pitacus Mityleneus
Plato
Plautus
Plinius
Plutarchus
Pogius Florentinus

AVTHORES.

Pontanus
Proclus
Pythagoras Samius

Q

Quintus Cicero

R

Rabi Moſes
Raſes
Regum libri

S

Saluſtius
Seneca
Serapion
Simonides
Socrates
Solinus
Suetonius

T

Terentius
Thales Mileſius
Theodorus

V

Vergilius

X

Xanthus
Xenocrates
Xenophon.

Finis nominum authorum

IN HOS DECEM SERMONVM CONVIVA-lium Libros, & Ebrietatis threnodi-am, atq; eiusdem trophæum, Argumenta.

PRIMI LIBRI SERMONVM CONVIVALIVM ARGVMENTVM.

MOESTITIAM humanæ uitæ, quodammodo uenenum esse. Vinum mederi tristitudini. Vinum esse euphrosinon. Conuiuium ciuile quod. Conuiuiũ quæ exornent. Dispareitas autorum de numero conuiuarum. An uxor bono uiro ducenda. Quæ conuiuij lex. Cur raro mulieribus barba adna-

ſcatur. Mira de ſomno. Vt ebrij non doleat caput. Contra ebrietatem remedia. Qui mortui reuixerint. De apopleticis multa.
De ecſtaſi quædam. Dædali & Vulcani ingenioſe facta. Qui auium uoces calluerint. De Pythagora. De pulicibus. Quæ loca ſingulis planetis ſacra. De partu octimeſtri. An lac maternum melius quam nutricis. Cur plerunque filij degenerent. De Herculis nodo. De palma quædam. Cur plantis ſexum adſcribamus. De Auſtro & Aquilone. De equabus Cappadociæ. Omnia per litem & amorem fieri.
De electro. Defunctis rebus ab idea immortalitatem ineſſe.
De Dionyſio tyranno.
De tympano ex pelle agni.
De cithara cum fidibus ouinis.

ARGVMENTVM
Libri II.

PArthos esse siticulosos. Sitim non semper ferendam. De uini nobilitate. Consultor amœnus quis. De cultu Homerico, & Pindarico. Quis sapientiæ cognatus. Bacchus cur Musas secum. Artem bibendi legibus constare. Ebrietatis definitio. Quis humor quauis hora dominetur. Signa dolorosi capitis. Quæ medico consideräda. Commensus ætatum. Pueris & senibus à phlebotomia abstinendum. De Ioue Capitolino. Hyems quando & uer. Aestas quando & autumnus. De lunę quadris. De cõuiuio Didonis. Quæ signa circuli animalis euacuandum conuenientia. Quando confortandæ

uirtutes naturales. Quomodo planetarum habenda ratio. Elementa quæ medicinalia. De regionibus. De uentis. De Platonis magno errore. Quæ melior complexio. De luxu Vitellij. De Pitaci ſtatuto. De fortitudine Bacchi. Exempla frugalitatis. De Ionum tragematis. De nucum præſtantia. De quorundam uoracitate. Παροιμία quid.

ARGVMENTVM
Libri III.

MEdicis nõ eſſe paciſcendũ. Puniẽdus qui doctorem ſimulat. Iuppiter propter tria à Momo culpatus, Varia conuiuiorum genera. Quæ hora conuiuio congrua. Socratis egregiè dictũ de conuiuis. Coqui reſponſum

ſum ad Dionyſium. Epularũ condimentum fames. Hiſtoria ridiculoſa de quodam medico. Quis Pauſaniæ optimus medicus. Socrates de ægrotis. Craſſus, Ageſilaus dictus. Et quomodo quidam eccleſiaſtes mirificè curatus.

ARGVMENTVM
Libri IIII.

QVomodo in quatuor partes diuidatur conuiuentia. De luxũ Gaij. De ouis multa, & monſtroſis partibus. Quur quis claudicet. Quur quis ſine brachijs naſcatur, De quodam Hiſpano miraculoſo. De lactuca pluſcula. De ceruis. De coturnicibus & perdicibus. Quur Septentrionales non timidi. Putei quur hyeme caleant. De Anaſarchide & Pirrho. De No-

uello Tricongio. De columbis. Quomodo accipiter à colũbario arcendus. Ne auolent columbæ. De ciconia. Ad quę ferrum conferat, quo homo necatus est. De quorundam immensa uoracitate. Quomodo ęstate aqua infrigidanda. Quæ optima bellaria. De Cassita apologus. Quis dignior Cubandi locus. Qua ratione quis reddatur abstemius. Quæ Venerem compescant. De lege propinandi. Ebrietatis incommoda. De Tenedio Mimo. Quur Græcorum pecunia boue signata.

ARGVMENTVM
Lib. V.

QVam legem in conuictu Lycurgus Lacedęmonĳs dederit. Cnei Manlĳ inuentum. Heliogabali & Galieni luxus. Varĳ

ritus

ritus gentium conuiuando. Quis dignior accumbendi locus. Agathocles quo patre natus. Eubulus poëta Cyprius, quot pocula euacuanda statuerit. Aues Britannicæ ex fungis. In Ponto aues crescere in arboribus. De ære Cyprio mira. Quòd uermes serici lanificium tractent. Quot mensibus imprægnata uterum gerat. Hippocratis asserta de undecimo mense. Adrianus de partu, qui fit undecimo mense. De sternutatione multa. Cœli dispositione ordinante, oriri animalia miraculose. De miraculosis fœtibus. De potestate aquarum.

Quur piscibus & ranis quandoque pluisse dicatur. Qui fiat, ut aliquando saxa de cœlo cadant.

De uariorum populorũ exequiis. Quur feles sua excrementa defodiant. Apparatus apotheo-

ſeos qualis. Quos deificarint Romani. Qui dij indigetes. Quot millia deorum fuerint. Quur aues abſq; ueſica & renibus. De ſaporibus. De carne ſuilla. Quomodo uinum nutrimentum dicatur. In Occidentali Oceano ingens fluuius uino madens. Bacchi & Herculis ueſtigia quanta. De piſcibus ebrietatem cauſantibus. De uiribus monſtroſis in Oceano. Quur ebrij ſemen emittant non prolificum. Zophorodorpides qui. Aeſtiualis potus quis. Hyemalis refectio quæ. Quòd omnis caſeus mali ſucci. Zoroaſtes uiginti annis caſeo uixit. Quur famelici ſitiant. Ex elementis unum, quod iuge alimentum ſibi depoſcit. Quur cibus parum deterior, quandoque melior.

ARGVMENTVM Libri VI.

RVbigus & Rubigalia quid. Cur Rubigalia celebrentur. Carbunculus uitium quid. Rubigo unde. Floralia quæ. Græcorum dij, qui. Aduersus rubiginem remedia. Contra tempestates tutamenta. De rana Mecœnatis. Verum conuiuium quale. Sueuorum laus. De Gallis, Hispanis & Cumanis. Quur regiones quædam obtusos nutriant alumnos. Diuitiæ quur insidiatrices. Socratis, Phauorini Bionis & Sophoclis dicta. Simonidis responsum. Achorus quis. Apollo quur Panopion. Contra muscas, culices & cymices remedia. Pythagoræ dictum. Piso quur Vrbis præfectus.

Euolomi & Soloduri qui. Attici Pomponij diligentia. Ira Peripateticis honorosa res. Ira, cos. Ira hydropisim curat. Et contra iram remedia.

ARGVMENTVM Libri VII.

BIbendi condimentum sitim esse. Lingua nihil esse acutius. Vxorum conuitia quandoque toleranda. Officia muliebria quæ. Ira quid. Calumniandi typus. De Hannibalis bestia. De Cyrene meretrice. De patientia. De Antonino Pio. Serui alicuius argutũ responsum. In pessimam uetulam ualedicendi modus.

ARGVMENTVM
Libri VIII.

OMnes homines auaros esse. Damnatur auaritia. Ebrietatis detestatio. Quur aurũ palleat. Quur Orientales timidi. Qui milites eligendi. Quur nimius timor interimat. Quur famelicis pedes intumescant.

ARGVMENTVM
Libri IX.

DE gymnosophistis. Propinandi modus. De quodam Noruegiæ monte miraculoso. De horrifico fulmine, quod Ensishemij superioris Alsatiæ oppido cecidit. De hominis miseria. Iouem Homericum duo habuisse dolia. De elephante.

Fulmen

Fulmen quid & quomodo fiat. Quid à fulmine tuetur. De natura pulueris pyrij. Quur tormentum bellicum sonum edat. Quando tormenti usus inuentus. Quur fulmen uites adurat. De lapide Ensishemio. Lapides quo modo in nubibus fiant. Vltimus haustus cur ἑρμῆς.

ARGVMENTVM
Libri X.

CVram & timorem esse morbos. Quæ diuus Augustinus de perturbationibus sentiat. De Aeneę conuiuio apud Euandrum. In quibus symbolum reperiatur, ut statim peste corripiantur. Paucos suæ uitę complere pensum. Lacedæmonem oraculo Apollinis liberatam. Alexicacon appellatus. Causæ quur aër inficia-

inficiatur De peste quadam Romana. De tribus charitatis obiectis. Et de charitate in proximum paucula.

ARGVMENTVM THREnodie Ebrietatis in exilium relegatæ.

LAmentatur ebrietas in exiliũ per cõcionatorem quendam clamosum relegata, quæ denuò Oenophili senis suasu, uires recipit & ad suos redit. Ebrietatis formatur imago, quæ interpretatur. Ebrietatis nomen ubi celebre sit. Concionatoris cuiusdam ostenditur apparatus. Turpe esse doctori, si à sua doctrina sit alienus. Prędicantem purum esse debere. Lactantius de prædicatoribus. Plebem non curare magistratum. Nobiles aliqui propter

pter ebrietatem se & sua neglige-
re. Aurum non corrumpi ærugi
ne. De Erostrato. Bono consul
tore nihil esse præstantius.

ARGVMENTVM TRO-
phæi redeuntis Ebrie-
tatis.

EXcipitur Ebrietas à rusticis,
qui huic omnia sua bona pol
licentur. Ebriorum habentur ru
sticorum mores. Mechanico-
rum ad Ebrietatem promissa.
Procuratorum fori promissa, & sa
cerdotum. Nobilium item.
Multa uasorum ostenduntur ge-
nera. De cœnobitarum crapu-
losa ebrietate. Prædicantium de-
claratur uana, seu simulata religio.
Verbi ministros à uino esse debe-
re alienos. Et ab alea. Ebrieta-
tem quandoque esse laudabilem.

Vomi-

Vomitus nonnũnquam conferre. Apparatus quorundam Senatorum describitur ebriosus. Philosophos in Republica esse nociuos. Sapientiam auro uinci. Deus quid. Et quid amicus.

ARGVMENTORVM FINIS.

SERMONUM CONVIVALIUM GEORGII VILLINGANI DOCTORIS MEDICI, LIBER PRIMUS.

ARGVMENTVM LIBRI I.

MOestitiam humanæ uitæ, quodāmodo uenenū esse. Vinum mederi tristitudini. Vinum esse euphrosinum. Cōuiuium ciuile quod. Cōuiuium quæ exornent. Disparitas autorum de numero conuiuarum. An uxor bono uiro ducenda. Quæ cōuiuij lex. Cur rarò mulierib. adnaicatur barba. Mira de somno. Vt ebrio nō doleat caput. Cōtra ebrietatem remedia. Qui mortui reuixerint. De apopleticis multa. De extasi quędam. Dædali & Vulcani ingeniose facta. Qui auiū uocis calluerint. De Pythagora. De pulicibus. Quæ loca singulis planetis sacra. De partu octimestri An lac maternū melius quàm nutricis. Cur plerunq; filij degenerēt. De Herculis nodo. De palma quædam. Cur plantis sexum adscribamus. De Austro & Aquilone De equabus Cappadociæ. Omnia per litem & amorem fieri. De electro. Defunctis rebus ab idea immortalitatē inesse. De Dionysio tyrāno De tympano ex pelle agni. De cythara cum fidibus ouinis.

PER-

PERSONAE,

Crates, Gereon, Hospes.

CRATES,

Neminem fallit Gereon, mœstitiam aut tristitudinem, humanæ uitæ, quodammodo uenenũ esse præsentißimũ, quo corporis uniuersi cõnexus, ni succurratur antipharmaco salubri, protinus in imum sit casurus. GEREON, Medicis asserentibus, Ast quod antipharmacon dicis, Crates? Forte sit necesse est, & potens, dum affectus potens est & ualidus. CR. Id uinum nominant, præcellens huic ueneno bezoar. GER. Non ab re igitur hoc cum numinibus par esse dixit Aesculapius. & deorum potentiam. CR. Homerus nepenthẽ uocauit, quòd næuus animi discutiat pathemata: quam uel Euphrosinum, uel Helenum, ex Attica regione datum, Plato uiriũ ingenijq; fomentũ Pythagorico quaternione magis sacrum dixit, quia sanguinem faciat & corpus alat. GER. Accedente cibo. CR. Non quia pascit & potat. GER. Maius igitur nectare uinum est, quod sine ambrosia, etiam dijs

Mœstitia humanæ uitæ uenenum.

Vinum medetur tristitudini.

Vinum nepenthe aut euphrosinum.

præsentibus friguit. CR. Nimirum. GER. Qur ergo non laboramus pro eo? in tãtum sole æstuante? CR. Miror profectò. GER. Ergo conuiuandum censes? CR Maximè, si ciuili conuiuio fruamur. GER. Quale hoc est? CR. Aristotelicum, octauo Polyticorũ sic descriptum, ut hospes hilari uultu, larga manu, & sedulo officio singula offerenda disponat, cõuiuij legibus numinè neglectis. GER. Quas habet leges conuiuium? CR. Vt quæ conuiuium gratum faciãt sympotis, diligenter obseruentur. GER. Quæ sunt eæ? CR. Tempus, locus, apparatus, & bellorum hominum conuentus, certo numero constans. Tempus enim conuenientius non habetur æstiuo, quando & prata sitiunt, & pecora umbram quæritant. Loci delectum Cordubensis princeps in suis canticis edocet, quando tranquillum esse debere scribit, benè euentatum, & æstiuo tempore frigidum, ne calor extraneus (inquit Auerrois) naturalem finit, sol quando in ignem irradiat, debilitet. Apparatum non commendãt Homericum, quòd nimium ieiunus sit: & caupo, quot quisque siccarit calices, enumeret. Nec etiam Rindaricum, quod est sumptuosum: qui Panegyriarchum potius requirat, quàm Symposiarchum. Sed frugalem & honestæ

Conuiuium ciuile quod.

Quæ conuiuium honestent.

Apparatus Homericus.

Pindaricus apparatus.

nestæ uoluptatis plenũ, qui conuiuas, quos bellos homines esse oportet, exhilaret, eorũ membra insigniter resoueat, humores instauret, & spiritus reficiat, Bellos autem homines hos rectè dixeris, qui sint conuictores, non conuitiatores, qui cito adulationem blando utantur sermone, qui dictorum nihil effutiant, quos flaua bilis non diuexet, atra nõ interturbat, qui non saltem uentri studeant, sed animo quoque, qui conuiuia non in multam protrahant noctem, & zophorodorpides dicantur, aut qui nõ negligant seria Genio studentes, quales Epythimodipnos appellitant, qui uinum nõ licentiosè ingurgitent, & Thracum more poculis certent, qui sympotas non gryphis inextricabilibus molestent, qui mentis ac morum honestate splendeant, quorum cõfabulatio sit iucunda, ut Epiciliceon dicas, casta, integra, pudica, appetibilis uenustate, non tristis, non luctuosa, non de anxijs timorosis ue rebus, & ut unico bolo enarrem, quibus animorum sit symmetria, magnusq; mentium concentus. GER. Sed per paucos eiusmodi inuenias. CR. Perpaucos quoq; ad eiusmodi deorum cõciliabulum pertinere, Pausanias scribit. Conciliabulum enim deorum, moderatum conuiuium Asclepiades nominauit, dum ad tale priscorum simplicitas,

Belli homines qui.

Zophorodorpipes qui.

Epythimodipni.

Epiciliceon quid.

Conciliabulum deorum.

non tantùm heroës accedere posse credidit, uerùm Ioue ipsum, & deos omnes. GER. Non certum præscripsit numerum Pausanias conuiuarum? CR. Præscripsit: nunquam enim plures tribus coijsse fatetur ex priscorum annalibus, quòd hunc numerum sacrum & perfectionis numerum, crederent antiquitùs uel ob gratiarum seriem, uel propter furiarum concentum. Athenæus autem duos addidit, et quinarium iustum conuiuij credidit numerum: sic Pythagoræ hallucinans, qui eundem iustitiæ scopum dixerat, quòd uniuersi, hoc est denarij, iustißima foret medietas, aut quòd Mercurio hic numerus sacer esset. Sed postera ætas septem concesit: & septem conuiuium dixit, nouem Conuiciū: aliâs magni faciens hunc numerum, quod esset uirginitatis numerus, Palladi sacer. Et nihil ex se pariat, quod intra denarij limites pótest coaceruari duplicatus. Marcus Varro in nonarium usque progreditur, qui Musas refert cœlestium sphærarum imagines, Homero secundo Iliados denarios placuit. Nam in decadas symposiarchum distribuisse docet conuiuium: dignitatem fortaßis denarij respiciens, quem circularem numerum Proclus uocat, & numerorum finem principiúmque, quod dissolutus in monodum redit, & monodus

Conuiuarum numerus.

Numerus quinarius iustitiæ.

Septenarius, uirginitatis numerus.

Circularius numerus.

ctus coaceruatus in denarium. Iulius Capitolinus ut Iouis institueret numerum, duos adiecit. Duodenarius enim, Iouis numerus est, quòd cursum suum duodecim annis perficiat. Plato tamen ex uiginti & octo rectißimè stare conuiuium uoluit: pro lunæ cursu, quæ uigesimo-octauo die redit ad idem zodiaci punctum, unde proceßit: & Chærephon apud Athenæum libro sexto, nostris nonnihil applaudens, quibus semper multitudo, pacis inimica (ut Seneca inquit) cordi est, ex triginta rectum cõuiuium ordinauit. Sed ego rem non sic ad uiuum reseco: modò conuictores habeam, numerum non ualde curo: licet numerorum, ueteribus tanta fuerit obseruatio, ut omnia (sicut Boëthius Seuerinus ait) quæ à primæua rerum natura constructa sunt, numerum constructa uidentur ratione. GER. Sed inter nos planè non cadit numerus, tibi solus sum. CR. Rectè dicis. Sed unitatem omnium numerorum communem mensuram, fontem & originem ducito, multitudinis omnis insortem, quam Democritus magni fecerit, inquiens, Unus mihi pro populo est, & populus pro uno: Epicuro succinente, quando ad suorum studiorum consortem in hæc uerba scribit: Hæc ego non multis, sed tibi scribo, satis enim magnum alter alteri

Numerus Iouis.

Multitudo pacis inimica.

Vnitatem Democritus colit.

theatrum sumus. Si igitur proficuum duxeris, seccdemus à sole in umbram, ut sumamus amicum uinum: sac in Particularibus theriaca dictum. GER. Cur theriaca? CR. Quòd corpora frigida calefaciat, calida infrigidet, humectet sicca, & humida siccet. GER. Secedendum duco: saltem hospidi dic, ut quæ benignior affatim suggerit natura parens, refocillādum apponat. Nos interim studebimus, ut salibus ingenij quoq; condiatur ferculorum congeries. CR. Hospes, fac (amâbo) in primis: quòd mensa cibis ornata sympotas refocillet, hinc consabulandi occasionem præscribe: nam tuum erit, pensum nobis assignare. HOSP. Vultis, optimi conuiuæ, radices uobis apponam, & holus? ut Pythagoricus sit conuictus. CR. Minimè, sed dapes saliares, cum optimo uino. Licet ciuile statuerimus celebrare conuiuium: id tamen Aristippico ritu adornatum, ut etiam cuticulā curemus. HOSP. Ad manus est, si uultis, lepus ueru tostus, aut capo. CR. Rectè, leporem adponas, & uinū, si habes, uetulum pontificale HOSP. Hîc est quod petis: quisque igitur nunc sibi consulat, non ad æquilibrium, sed quod satis est, quantumq; desiderat. GER. Ast quia non omnino uentri concœnandum est, sed animo quoq;, da argu-

Vinū theriaca.

Pythagoricus conuictus.

Non solū uentri concœnandum.

da argumentum hoſpes ut colloquamur, & ciborum ſaporoſum condimentum habeamus. HOSP. Quid? arbitraris colloquium inter uina, ciborum condimentum? GER. Maximum. HOSP. Diui ergo Brunonis ſacramentarij parum conditis ueſcuntur cibis, colloquio priuati, & piſcibus magis muti, etiam alibi quàm in menſa. CR. Verum eſt: ſed Dionyſium tyrannũ Gerioni ſubſcripſiſſe, uel inde potiſsimũ notabis hoſpes, quòd quum in cœna nigro iure ſe non delectatum aſſeruiſſet: à coquo ſuo percepit, eũ condimento huius iuris caruiſſe, dum amicos congerrones non habuerit: da ergo colloquendi argumentum, hoſpes. HOSP. Nudum nec à decem palæſtritis ſpoliare poſſe, Lucius Apuleius dixit. A nudo, hoc eſt indocto, doctarum confabulationum nulla petite themata: ego lampada uobis aſsigno. GER. Elementa, quæ mutas dicimus, etiam nullas intellectuales uoces edere nouimus, ſed cum uocalibus uocales fieri conſtat. Perge igitur, hoſpes. HOSP. Homini rudi arduum eſt quod petis. Ne tamen colloquendi uobis copiam ſurripiam, en ſcyrpum declarandum offero. Statuit frater meus filiã prætoris in uxorem ducere. Dic igitur Crates, quid tibi uideatur: an bono uiro ſit ducenda uxor? CR.

Carthuſianũ immũ.

Coquũ reſponſum ad Dionyſium.

An bono uiro ducenda uxor.

Anceps quæstio est, hospes: tamen si quæ Socrates ille sapiens dixerit, audias, facilior erit. Ab adolescentulo enim interrogatus, an sibi ducenda foret uxor, uel cœlibatum eligere deberet? respondit, Vtrum horum feceris, pœnitebit: quoniam Matrimonium comitantur perpetua sollicitudo, iuges querelæ, dotis exprobratio, affinium supercilium, garrula socrus lingua, subsessor alieni matrimonij, incertus liberorũ euentus (quod etiamnum Homerus his uerbis clarißime indicat Odysseæ primo,

Socratis dictũ.

Parens cuiq; incertus.

Illo me genitum dixit, pia mater: at ipse
Nescio: nã propriũ certus scit nemo parentẽ.)

postulatio, petitio, cunarum fœtor, puerorum uagitus, innumeraq; alia huius farinæ incommoda. Cœlibatũ autem solitudo, orbitas, generis interitus, & hæres alienus. Ex his, mi hospes, quid fratri consultum sit, facilimè coniecturam facies. Tamen propositi scyrpi nodum apertius ille Cynicus Diogenes soluit, cuius responsum item pro solutione apponere non grauabor. Interrogatus enim, quando uxor ducenda foret? Iuueni nondum (inquit) seni nunquã. Subindicans, à coniugio abstinendum prorsus. Arius bonam fortunam arbitratus est, à ducta uxore liberari. Illi enim Pacuuius poëta querebatur, quòd in horto funestam haberet arborem, unde

Cœlibatũ quæ sequantur.

Diogenis responsum.

De pacuuij arbore.

rem, unde sua prima se uxor suspendisset, deinde altera, postremò tertia. Cui Arius salsissimè inquit, Miror te, in tot successibus, inuenisse lachrymas, potissimùm quum illa arbor ubique per surculos plantanda, tot tibi suspenderit dispendia. GER. Et de meo quædam addam hospes. Tametsi Quintum Ciceronem Marci fratrem, libero lectulo nihil esse iucundius, dixisse compertum habeam: minimeq; uxori & philosophiæ, pariter maritum incumbere posse, idem Marcus Tullius affirmarit. Tamen nemo qui synceræ mentis est, exactiq; iudicij, non dicet, pulchram mulierem, non solùm domum unam aut alteram, sed totam ciuitatem quoq; decorare, maritoq; quemuis laborem facere leuiorem, minimæq; tædiosum. CR. In tuam sententiam manibus & pedibus eo, si hanc pulchram dixeris, quæ à cunis rectè instituta, bonis moribus emicat, iustóque titulo uxoris nomen (quod dignitatis nomē Aelius Commodus Imperator dixit) possideat: nam pulchram dixisse, quæ saltem formæ nitorem, sine honestis moribus, ostentat, maximus error est, minimeq; uxoris nomine digna. Est enim semper timendum, ne maritus cum multis hanc communem habeat, quòd merx ægrè custodiatur, quæ omnibus placet, et in quam totius populi uota

Arij dictum.

Libero lectulo nihil iucūdius.

Mulier pulchra ciuitatem honestat.

Mulier quæ formosa.

Pulchra mulier periculosa merx.

suspi-

suspirant. GER. Defectum ergo cura supp pleat, necesse est. CR. Ah, infida custos pudicitiæ est necessitas. HOSP. Sic igitur fratri meo dissuades uxorem, Crates? CR. Quæ custode opus habeat, quòd proba non debeat custodiri, improba non poßit. HOSP. De forma non anxius est admodū, sed prolem cupit, ne generis emergat interitus, & hæres sit. CR. Ast quando felicior extitisset Priamus, si absq; hærede Troianum occupasset regnum? quantò remißior à curis Marcus Antonius, si Commodo filio suo caruisset? GER. Conuiuij lex est, citra supercilium ablata tractare negocia: sed nedum exactius rimari quæque uolumus: animo seruientes, cutis obliuiscimur. Bibe igitur Crates, ne sermo deficiet: & tu hospes rebibe, ne faucibus hæreat lingua. Hinc de meo quoq; addam aliquid. HOSP. Si non grauius iusseris, facilè parebo: bibā igitur. Sed quid de tuo addes? dic GER. Benè habere non uxoratum, quòd liber uiuat (Plauto teste) & sibiipsi proprius: si Metello credimus. At diffiteri quoq; non possum, honestum & utile thori habere consortē, cum qua omnia maritus loqui audeat, tanquā secum: quæ à curis solicitudinibusq; fatigatum subleuet: quæ lætū aspectu saltem, lætiorem reddat: quæ utriusq; for-

Vxor proba non debet custodiri.

Prolem habere non semper bonum.

Liber sibi uiuit.

tunæ

tunæ socia esse cupiat: & penitus linea sit geometra, quæ non desideret se mouere uel in minutulum effectum proprium, sed tota ex substantia corporis, quæ maritus est, pendeat. CR. Rectè, Gereon. At si Catonem audias, nimirũ aliter senties: inquit enim, Si mundus esse poßit absque fœmina, conuersatio nostra non esset absque dijs. GER. Nihil ad nos Catonianum hoc, Sed istud ob oculos pone, humani quidem generis imminere casum, si ex rerum foro, socialis coniugij secederet copula, quam sacrosanctam comprobabis, & necessariam: quòd protoplastes, quando à principio formauit primum hominem ex limo, mulierẽ statim ex latere formauit uiri: formatamq;, quum hominem solum esse, non bonum sciret, illi copulauit: adijciens, ut in prolem crescerent & multiplicarentur. Non secus dijudicans ac Lycurgus Lacedæmonius, qui paruum discrimen uoluit inter eum qui ciuem occidisset, & qui hæredem dare potuit, quem recusauit. HOSP. Cóncluditis ergo fratri uxorem ducendam? GER. Ego concludo. CR. Et ego. HO. Sed hactenus diuersum cecinisti. CR. Vt confabulandi occasionem darem. Pluris profectò hanc semper feci copulam, quàm quæ inter alios emergit amicos: quòd firma sit, non fucata, con-

Cato de ducenda uxore.

Lycurgi sententia.

ta, constans, quæ nulla corrumpatur perfidia, nulla simulatione obscuretur, nulla rerum commutatione cōuellatur: dum interim amicorum uacillans sit, fuco illita & labilis, quæ uelut hirundines, exacta æstate deuolant, fortuna reflante deficiat, aut planè quiescat. Illud tamē, si mihi ducenda foret, diligētius curarem, ne barbatam ducerem. GER. Barbatas monstrificas arbitrantur populatim, & quasi alicuius mali præsagij certißimum signum. Vnde eminus salutandas, prouerbio non ineleganter recitant. CR. Siquidem mulierum hactenus facta est mētio, non absurdum fuerat tibi enodandum aßignare hoc problema: Cur raró admodum mulieribus adnascatur barba, quæ alias ualde sunt pilosæ? Tamen prius hanc dilacerandam beluam suadeo, ut quisque quātum uelit, sumat. GER. En frustillatim habes incisam: uescere, si potes. Ego, pensum absoluam præscriptum: & calorem debilem rarioris barbæ causam aßigno: frigent enim complexione mulieres: quū calor sit, qui pilos faciat. Vnde spadones, qui quum uiri adhuc essent, & pilos habebant, castrati, pilos amittunt: quòd membra calidiora, quæ didymos uocant, amiserint. CR. Sed quur aliquibus adnascitur barba? GER. Quòd uiragines sint, calore redundantes:

Amicorum copula fallax.

Barbata mulier monstrosa.

Cur mulieri raró barba nascitur.

Didymi qui.

lantes: aut menstrua, quæ aliquibus gynæcia, uel καταμηνία dicuntur, suppressa habeant, sicut Auicennæ placet. Tamen ego, si quælibet optio mihi rata foret, barbam meam septies in die aliquibus optarem uetulis, ut iubar proscin deret, & catullientes mansuefaceret. CRA. Quid? solet barba mulieribus frenum addere? hircissantesq; cicurare? GERE. Certè solet. Nam spiritus interturbat uitales barba: eo teste, qui Rasis nonum interpretatur ad Almansorem. CR. Habeo quæ nolui. Sed bibe interim Gereon, & de hermaphroditico degusta lepore: pinguis enim est lauteq; paratus. GERE. Quur hermaphroditicum dicis? quum uerius atrobilariũ dixeris: quòd nigræ bilis sit generatiua caro leporina. CR. Quia naturaliter per annos sexum mutat sic, ut quando hoc anno mas fuerit, altero fœmellam repræsentet. GER. Leporem nõ uescor: quòd somnolentiam, quam ex esu leporis oriri, Plinius scribit, timeam. HOSP. Amplius igitur Gnosij Epimenidis non demiror somnum, quem annis quinquaginta septẽ durasse, fama est, ob carnis fortaßis leporinæ usum. GER. An uera sint, quæ sic narrant, addubito. HO. Vera esse, Xenocrates philosophus mordicus affirmat, dicitq; tam prolixi somni causam, di-

21 tertij tract. 3. cap. 26.

Barba melancholiam generat.

Lepus cur hermaphroditus.

Epimenidis somnus.

Somni prolixioris causa.

uinitùs quãdam pœnam ab æterno quibusdam animabus demeritis sic deputatam. CRAT. M. Damascenus hac ratione talem somnum poßibilem argumentatur, & omnino naturalem. Inquit enim, si natura brutis, quibus nouerca est, tribuit, ut sine cibo & potu, sine excretione, sineq; omni corruptione, in latebris ad multos mẽses uel annos latitare possunt: quemadmodum compertum sit per glires, domiportas & serpentes, quæ per totam hyemem sic obdormiant, sic somno exspirent, ut uix igne reuocari queant: cur non istud homini, cui mater est, non nouerca, concederet? HOSP. Aliquos reperias, qui arte uel somnum uel longam inediam parare possunt: quoniam mandragoræ, seu oppij præsidio, soporiferas concinnant potiones. Et herbæ adminiculo, quam Sparthanicam uocant, & Scythis uulgarem, longißimam inediam: nam gustata, aut saltem ore retenta, potens est. GER. Nicolaum de Saxo uidi, natione Heluetiũ qui duobus & uiginti annis, quousq; uita exceßit, ab omni cibo & potu abstinuit: sed cuius rei auxilio, latet: nisi quod diuinitus id contigisse complures arbitrãtur: nam Deo multum fuerat addictus. HOSP. Nolim semper tales habere sympotas, tametsi libenter asculteim. CR. Quamobrem?

Mandragora fit somnus prolixus.

Sparthanica herba.

Nicolaus de Saxo.

obrem? HOSP. Quia non bibitis. GER. Non obstaret, quin meracius biberem, si caput meum non aggrauari nimio potu scirem. HOSP. Bibe quantum uis: nam & si doleat, statim auxiliabor, & facili, sed præsentaneo Pharmaco. GER. Rogo quicquid est, in medium profer. HOSP. Non sunt publicanda isthæc ex Epicuri calatho. GER. Sed non publicabis, si nobis duobus tantùm dixeris. HOSP. Persuades, si uterque promiserit dicturum simile, ut tali onem reddatis. GER. Promittimus. HOSP. Scito igitur, statim reualescere ebrium atque sanari, etiamsi adeò doleat, ut sensus titubent, si testes in aquam ponat frigidam, uel aceto diluat. GER. Facilis hæc medicina est sed tamen utilis. Pro hac ergo uicißim reddam tuo foro satis commodam, quomodo uinum uitio continentis fœtidum, emendetur. Et hoc est, si pro uasis magnitudine, iustam proportionem tritici mundi per sacculum in uinum suspendas: quicquid enim fœtoris in uino est, attrahit, & mirificè clarificat. CR: Et iam meum quoque dicam: uidelicet, qua ratione fieri poßit, ut qui bibendo decentem excedit mensuram, non tamen inebrietur. HOSP. Magnum certè hoc est: sed nolim omnes hoc scire conuiuas. CRA.

Quid contra capitis dolorē ex ebrietate.

Vinum fœtidum quomodo emendetur.

Quamobrem? HOSP. Quia mihi non esset pro farina, quum helluones se ingurgitarent, & parcè uinum persoluerent. Dic quale est. CR. Vt antequàm bibere uinum incipit potator, uncias duas bibat olei oliuarum: quod omnes retundat sua unctuositate uapores, qui caput læderent, ebrietatem causando. HOSP. Siquidem ebrietatis nunc incidimus mentionem, aliud quoq; narrasse non uidetur absurdum. Habebam nuper hospites post cœnam in comessatione delicatos, qui se nimiæ repletioni adornauerant: nam poculis certabant: quibus lumen quod erat appositum, extinxi (cogitabam enim temulẽtiam eorum interrumpere) aliudq; ardens apposui: mirabile dictu, quàm statim ab opere destiterint incœpto, egregieq; timuerint. CR. Quamobrem? HOSP. Quòd nullus humanum amplius haberet colorem: nam mortuis omnes comparebant similes. CR. Singulare hoc fuit præstigium: sed quomodo paratum? HO. In patina uinum sublimatum, cui modicum salis immiscueram, accendi: ardet enim uinum sublimatum, si lumen apponatur: & confestim alea pro uoto cecidit. Mirabar supra modum eiusmodi Thrasones, tam statim ex hac noua re perterreri. CR. Miror profectò hoc

Contra ebrietatem.

Luminis mirabilis euentus.

uinum accensum sic permutare hominis colorem, accedente sale. HOSP. Non hominis tantùm, sed cãcri quoq; fluuialis. Etenim si in patinam de hoc uino quicquam ponas absque sale, cancrumq́; imposueris, et accendas, statim rubescet cancer, quem uiuum, sed rubeum, spectaculi uice, conuiuis inter coctos apponere potes, ut rideant. GER. Sunt profectò isthæc ab hospite satis ciuilia, & conuiuio digna. Quid si nunc bibamus modicum? Crates, hoc te saluto cratere. CR. Vt me salutas, sic resaluto hospitem. HOSP. Rectè facis: nam est curandum, ne incendium fiat, uel arescamus siti. CR. En, ferè cum uino deuorassem muscam: certè nimium cicuratas habes, mi hospes. HOSP. Indies capio, & aquis submergo. GER. Moriuntur autem? HO. Moriuntur. GER. Vt statim reualescant, antidotum noui. HOSP. Scis mortuos resuscitare? GER. Muscas certè, uel apes: nam si muscæ mortuæ tepidis integantur cineribus uel sale, cõfestim auolant: sed apes, succo nepitæ illitæ, uitam recipiunt. CR. Scribit Xanthus historicus, ui herbæ cuiusdam, quæ Bali dicatur, hominibus quoque id usu uenire. Sic enim Catulum Draconis filium, fato solutum, reuixisse ait. Et Tillonem, quem Draco oc

Quomodo cancer uiuus rubeat.

Vt muscæ mortuæ reualeãt.

Homines mortui, resuscitati

ciderat. Iuba refert, eiusdem herbæ potentia uitam recepisse. Quidam item Glancum mortuum, poto melle resuscitatum narrant. HOSP. Sunt incredibilia isthæc. Sed tamen moribundas animas, nonnunquam in corporibus suis latere uehementioribus ecstasibus oppressas, & ab omni corporea actione solutas, facilè crediderim: non planè mortuas, sed sensu & motu priuatas, etiam per longum tempus, quasi mortuas. GER. Tibi subscribo hospes. Indeq; esse arbitror, quod medici, ne apopleticorum corpora statim efferantur, præcipiunt: nam per triduum inhumata, conseruanda monent. CR. Nimirùm, quia luna in ea temporis mensura unum circuli animalis signum, uel saltem gradus, unum æquiualentes, in humoribus agitationem causando, peragrat. GER. Sic rabi Moses ex libro Galeni, quem patriarcha transtulit, mulieri accidisse ex matricis suffocatione, scribit: nam sex continuis diebus, eam sine sensu & motu, arterijs etiam induratis, tumulandum iacuisse fatetur, & denuò reualuisse. HOSP. Magna sunt per Iouem: sed fortaßis uera. GER. Si quis Hiarbæ gymnosophistæ legat conuiuium, maiora uel absurdiora potius notabit, quorum unum & alterum appono. Quippe Vulcani & Dedali tripodes, sine motore

Ecstasis quandoque fis.

Cur nõ statim efferãtur apopletici

Mulier quædam ecstasim incidit.

Vulcani tripodes qui.

motore, tanquam pedes habuissent iuisse: & si Homero credimus, sua sponte in certamen prodijsse. Item Architæ cuiusdam ligneam columbam uolasse: Mercurijq́; ex cedro statuam, humana uoce loquutam. CR. *Aeque difficilè creditu est, quod Philostratus in quarto scribit libro, de uita Apollonei: Apollonium enim Tyanæum, auium sermonem calluisse narrat: ac si probat, dicens, Apollonium semel in cœtu amicorum, uidisse passeres in arbore considentes complures, unúmque aliunde uenisse passerculum uoce obstrepentem, & cæteris garruliorem, sed statim auolasse iterum secumq́ue duxisse reliquos omnes, ubi dixerit Apollonius: Ecce passer ille, reliquis nunciauit, asinum prope urbem in angiportu, tritico onustum cecidisse, triticumq́; humi diffusum. Quibus uerbis affatim commoti amici, statim iuerunt, dicente Philostrato, spectatum: & factum esse sicut dixerat, inuenerunt.* GER. *Hermes Philostrato succinit. Nam omnes intelligere scribit auium cæterorumq́ue animalium uoces, qui certa calendarum Nouembrium die uenatum exeant, & primam auem quam ceperint, cordi uulpis concoquant & comedant.* CR. *Non possum diffiteri, Arabes quoque credere, eos brutorum sensa intelligere, qui cor-*

Apollonius uoces auium calluit.

Quomodo uoces auium intelligendæ.

aut hepar deguſtarint draconis. Quid Pythagoras deduſtarit, quem bouinatim aliquando loquutum narrant, haud ſcio. Tarenti enim bouem in agro conſpicatus, fabaceā ſegetem morſu truncantem, ait bubulco, ut bouem moneat, ne ſic fabas depaſcat. Vnde bubulcus illudens, Cum boue loqui neſcio, tu (ſi ſcis) potius mone. Vbi non cunctatus, acceßit propius, & in aurem bouis diutulè loquutus, impetrauit, nõ modò ut in præſens, ſed etiam in perpetuum pabulo abſtineret fabaceo. Et ſimile in urſo fecit Daunio, qui horribilis boum atque hominum acerba peſtis erat. Hunc enim ad ſe uocauit, in aurem illius ſuſurrans, ne quod animal poſthac attingeret. Cui urſus applaudens, mitis abijt, nec animantium deinde cuiquam obfuit. HO. Illa omnia proſcriberem, ſi quod maximum arbitror, nanciſci poſſem. CR. Quod hoc eſt? HOSP. Aduerſus pulices hoc æſtiuo tempore remedium. CR. Habes tantam pulicum copiam? HOSP. Dictu mirabile, ob id nuper mea uxor in ſua lingua, ſic conqueſta eſt, & nos uertimus:

Pythagoras bouina im loquutus eſt.

Daunius urſus.

De pulicibus iocus

Plutonis triſtes adeò non ecce cauernas
 Pertimeo, dirũ nec Acheronta quoq;, (dis
Nõ Scyllã, Scyrtes, Stygẽ, Mala neq; Charyb-
 In tantum uereor, nec Phlegethontis aquas,

Non

Non mihi Vulcani metuenda incendia, non est
Neptunus tantùm uel metuendum item:
Nec mihi pro furtis metuo tormenta capistri,
Toxica tam uereor, nec Mala Thessaliæ,
Quàm timeo insidias metuēdi publicis arma,
Quum studet in nostrā tradere spicla cutē,
Quū uigilare uetat, quū nec requiescere lecto
Me sinit, & miseram quum lacerare cupit,
Quū malesanus item disturbat pectora pulex
Rostro, quum uentrē, sed femur atq; nates,
Interdum surgo contra fera pulicis arma,
Sed pulex uiso lumine certè fugit,
Perq; pauimentum dum saltant undiq;, conor
Ex illis quemuis mortis obire diem,
Sed fallor, capio uix tres: istisq; necatis
Succrescunt centū, Myrmidonúmue manus
Propterea in uotis non est, quòd Iupiter orem
Promptius, ut pulex quàm malus intereat.

CR. Plinius docet aduersus pulices præsentissimum remedium: ait enim, Si quis primum audito cuculo, dextrum pedem circumscribat, ac uestigium hoc eruat, & pauimento inspergat, non nasci pulices in eo loco. HOSP. Si tantæ uirtutis illa terra, dignam uerè dixeris admiratione. Sed unde talem haberet gratiam? CR. Occultū id habetur: tamen à stellarum influxibus quidam arbitrantur hæc fieri rata.

Li.30.cā.10
Cōtra pulices.

Quæ loca singulis planetis sacra.

Etenim loca quæ fœtida sunt, tenebrosa, sub terranea, funesta, uinosa, solitaria, & paludes, Saturno habentur in delicijs, & Saturni in meliorem in istis per omnia sentiunt euentum. Ioui autem tribunalia, gymnasia, loca nitida, et odoribus irrigata. Sed Marti, ignea, sanguiolenta, & cruces. Soli quæ lucent, principium aulæ, & theatra. Veneri, ornata cubilia, uiridantia prata, fontes, & (ut Orpheo placet) thermæ, & omnia muliebria Mercurio, tabernæ, officinæ, & mercatorum conuentus. Lunæ, rupes, syluæ, montes, flumina, naues, & reconditoria frugum. HOSP. Sed nemo bibit interim. Certè mea uxor hospitibus confabulantibus, saltem citra uini usum, ex Chio Diama est. CR. Dauus sum, non Oedipus. Apertius igitur die quid ex Chio, Diana sit. HOSP. In insula Chio, Dianæ facies erat in sublimi posita, cuius uultus introeuntibus tristis, & exeuntibus hilaris erat. CR. Intelligo: Lætiorem arbitraris nobis exeuntibus. HOSP. Certè: nam lucro gaudet. Si uultis igitur tragemata uobis apponam, et uinum aliud exoticum. Nam harum rerum exuberans mihi copia est, quam fudit pleno de Copia cornu. GER. Appone, ut defectum compleamus, qui confabulando admissus est. Aristoteles in hoc secundas mensas inuentas, in

Diana ex Chio.

Cur secundæ mensæ excogitatæ

tas, in quodam Problemate scribit. Prius tamen superpondij loco Crati meo uice ænigmatis diuinandum præscribo: Quur octauo mense nati, rarò superstites uiuant infantes? CR. Mihi, quamuis harum rerum quæ astronomicæ sunt, non admodum diligens scrutator sum: tamen præmonitus hanc causam offero, quòd infantulis dum in utero sunt, planetas nouerim præfici. Vbi eo mense natis, Saturnum, qui frigidus & siccus est episcopum arbitror: cuius utrãq; qualitatem ferre non possunt, quia uitæ sunt contrariæ. Et Hippocrate teste, calor est amicus naturæ. GER. Sunt qui astronomica ratione elisa, aliud excogitant, dicẽtes, embrionem sæpe mense septimo, ab uteri conceptaculis, egressum affectare, ac in id collectari plurimum. Verùm conatu excidere, atque interim fatigatum effici imbecilliorem. Quòd si necdum refectis uiribus, octauo rursum eundẽ petat conatum, ob læsum frequentius exire & interimori. Ab his alias ostendit rationes Hippocrates, libro de Partu octimestri. Has tamen rationes, non ubique ueritatis perpetuæ dixerim. Quoniam Auicenna in partibus Hispaniæ prægnantes dicit edere uitales eo mense, Aristoteles in Aegypto, similiter Agrippa in Naxo, quòd eam insulam Dionysio sacram per-

Quur octimestris partus raro superstes

Prægnãtes in Hispania superstes pariũt

bibent, qui octauo mense in lucem editus est. HOSP. Licet uxor mea pluris continuas faciat potationes, quàm philosophicas quæstiones, non possum tamen non infringere ipsius mentem, & tibi Gereon enthymema quoque præscribere philosophicum: quod est, An melius sit, matrem lactare suum infantem, uel nutrici, ut alienum lac sugat, committere? Habet enim uicariam uxor mea, quæ hactenus displicuit. GER. Lac habere genium matris uel inde colliges, si hœdus lacte nutriatur ouillo, pilos gerit molliores, & lanæ quasi similes: si agnellus item caprino lacte, lanam opposito modo duriorem, pilosq; repræsentãtem. Vnde consultiùs (me censore) fecerit mater, si proprio lacte suum pullũ nutriat, defectu, non impediente: quoniam si malis sit moribus, ebria, ægra, uel lusca, præstat nutrici committere negocium: quod puer malis moribus matrem facilè imitetur, & ebria conuulsioni disponat, ac ebrium faciat, ægra ægrum, lusca luscum. HOSP. Adeò potens est lac? GER. Adeò quoque potens, ut si albos oculos infans habeat, nutrix denigret, si nigris ipsa sit oculis. Non igitur (si sacra prophanis miscere licet) immeritò Diuus Gregorius in ociosas illas & negligẽtes matres excandescit, quando inquit,

Lac geniũ matris habet.

Nutrix potest albos oculos denigrare.

Gregorius in ociosas mulieres.

Prauam

prauam, & ex rerum foro proſcribendam con ſuetudinem, ut mulieres filios quos genuerunt, nutrire contemnent, eosq́; alijs mulieribus nutriendum tradēt. Nam aliud ſubeſſe illi rei ſcribit, quippe dum ſub larua ſtudeant, per nutrices prodeſſe infantulis, ſuæ quoque ſtudent incontinētiæ, qua dum lactant, ſatiari nequeunt. Sic hoſpes, quæſiti reſponſum habes. Tamen Crati, qui acrioris eſt iudicij, hæc lampada quoque trado, ut ſi poßit, alia uia diſſoluat. CR. Actum agere nolo, ſed aliud malim. GER. Quod nam? CR. Vt quem exhiberem nodum, ſolueres: uereor tamen hoſpiti ſim moleſtus. GER. Cum hoſpite uolumus paciſci, ut noſtra uice bibat, & ſua Xantippe nobis confabulantibus talem rationem ſubducat, qualem multis & maximis helluonibus ſolet. Audi hoſpes, in ſermones incidimus conuiuales, quibus magis quàm exuberante uino delectamur. Tu igitur uicarias age uices, & affatim bibe: nos colloquentes, pro tuo uoto, ratione ſubducta, lubentißimè quæque perſoluemus HOSP. Fiat. Ego ueſtro quoque delector colloquio: ſaltem ut cœpiſtis, pergite. Tamen ſi gryphos perpetuò ſic propoſueritis difficiles, uulpeculam Aeſopicam & gruem uos imitari dixerim: quarum utraque faceto ſo conuiuij ap

paratu

paratu, alteram elusit, & in cœnam dimisit. Cu rate igitur: uestra res agitur. GER. Non est qui amplius esuriat aut sitiat. Tu Crates, quicquid scyrpi habes, deprome. CR. Quæro igitur, cur pro Homeri dictis, filij plerunque degenerent, & rarò patres æquent: sic ut stolidi parentes, subinde liberos progignant robustos ac prudentes: prudẽtes autem parẽtes, stolidos & nanos filios. Homeri uerba hæc sunt:

Quur filij degenerent interdum.

Aequat rarò patrẽ soboles, sed plurimi ab illis Degenerant, pauci superant probitate parentem.

GER. Quæsitum proponis sermone dignũ. Ast sic res habet: stolidi parentes, dũ in actu sunt Venereo, nimiũ astringuntur uoluptati, animamq; corpori magnopere immergunt: ex quo semen uirtutum tam animalis quàm naturalis redditur potens, & prudentes ualidiq; nascuntur filij. Sed prudẽtes quũ opposito modo se habeant, opposito modo quoque progignunt imprudentes & nanos: nam coeundo mentem sparsam habent, & suspensam, cogitantes quæ sunt extrinsecus necessaria: unde semen eorum defluit, ambarum uirtutum defectuosum. CR. Pulchrè nodos soluis Gereon etiam Herculeos. GER. Quos dicis Herculeos? CR. Indissolubiles, & quales in caduceo Mercuriali, per serpentes masculum &

Herculeus nodus.

fœminam

fœminam mutuo amplexu connexos effinxêre ueteres, ut ueram amicitiam, sic indissolubilem esse debere ostenderent. GER. Hoc melius in palma ostendissent arbore. CR. Quomodo? GER. Si enim palmæ masculinæ ramus, ramum fœminæ tetigerit, tunc complicat se adeò in mutuum amplexum, ut nodum faciat uix aliqua dissoluendum arte. CR. Est in uegetalibus amicitiæ tantus etiam sensus? GE. Maior: quoniam palma, fœmina sine congressu masculi sterilis est infœcunda: id quod in oliua quoq; comparet, quæ myrthum amat, & amygdalo arbore, quæ solitaria minus fœcunda est. CR. In plantis sexus haberi discrimen, mirabile est: quum masculus dicatur, qui in aliqua generare: & fœmina, in qua generari potest. GER. Non: sic etenim rem intelligito, ut plantis insunt, quædam masculorum aut fœminarum proprietates: quippe quum masculus sit maioris uirtutis quàm fœmina, plantam cui maior uis inest fructus promendi masculum dices, cui minor fœminam. Hanc Theophrastus nono Plantarum historiæ libro, citius in truncum augeri scribit, quàm masculum, quòd fœminæ natura semper humidiores sint. Id tamen Austro flante, quem Græci Nothum dicunt, citius euenire dixerim. CR. Quamobrem?

De palma mirabile.

In plantis sexus.

Arbor fœmina citius crescit.

GER.

GER. Quòd Plinius Austrum fœminis habiliorem flatum nominat. Dicit enim decimo octauo libro Naturalis historiæ: Austro flante, in brutis, fœmineos concipi fœtus: et uerso modo in utero mares fieri, si flante Aquilone coeant animalia. CR. Subscribit fortasse rationem. GER. Non: sed Albertus, decimo octauo libro Historiarum animalium, hanc ostendit, dicens: Ideo flante Austro fœminas concipi, quia tunc corpora nimium humescant, & calor genuinus extraneo calore Austri resoluatur, atque uires debilitentur, ut fœmellæ fiant: sed spirantibus Aquilonibus masculi, quòd flatus hi frigidiores sint, magis obturãtes corporeos meatus, ne intrinsecus calor exhalare queat, unde corpus expeditius robustiusq́; , & genitura uegetior, magisq́; idonea ad maris generationem informetur. CR. Mirum est, flatus talem in rebus habere uim. GER. in Cappadocia, ex flatus attractu cõcipere equas narrant. CR. Sicut feles ad affricationem neptæ herbæ, quæ defectum supplet masculi. GER. Quomodo hoc fit? CR. Quomodo? Heraclius id docet, qui omnia, quæ in rerũ habentur natura, per amorem esse aut litem, professus est. Sicut enim feles (inquit) per fortem imaginationem, ui amoris ex contactu huius concipit,

Auster fœminas parit.

Aquilo masculos generat.

Equæ Cappadociæ.

Feles ex nepta concipiũt.

lus concipit. Sic oliua per meretricem plantata, ui litis uel inimicitiæ infrugifera habetur, aut omnino arescere iudicatur. Et electrum omnia attrahit præter ozymum, & quæ oleo perlita sunt: quod cum illis ex naturali quadam antipathia dissideat. GER. Essent apud me difficilima creditu, nisi fortè imaginationis impressuram, potentem nouissem. Tametsi aliquando uirtutes occultæ, rebus insint uiuentibus & non uiuentibus, citra imaginationem. Democritus enim linguam ranæ marinæ extractam, & cordi mulieris dormientis appositam, rana iterum uiua in mare demissa, in hoc potentem scribit, ut quæcunque sciat illa mulier, obticere nequeat. Platonici item defunctis rebus, ab idea quondam infusum immortalitatis effectum, narrauit: Quemadmodum enim uiuentē aquilam reliquas omnes aues uincere, compertum sit: ita pennas quoq; eiusdem, reliquarum auium pennas corrodere, confirmant: & leonis pelles, omnes alias pelles. Vbi istud omnem admirationem mihi excedere uidetur, quod scribunt, tympanū de pelle adipis uel lupi, tympano de pelle agni, omnem sonum, si iungatur, adimere. CR. Fecimus pactum Gereon, cum hospite, ut nostra uice solus bibat: sed palinodiam canto, quum & ipse sitiam.

Electrum attrahit præter ozymum.

Lingua ranæ ad quid.

Aquilæ pēnæ alias pennas corrodunt

Pellis lupi odio habet alias pelles.

GER. Bibe igitur ut ſurgamus. Nam alia ſuperſunt hoc die mihi tractanda. CR. Bibam. Tu, ſi uis, abire potes. Nam hîc ſequi horis manendum ſtatui, ut colloquar hoſpiti. GER. Vale igitur. Cras fortaßis me reuiſes. CR. reuiſam. Tu quoque uale. Sed cura interim, ut etiam nomine meo hoſpiti ſymbolum perſoluas: nam hoc tempore mea diſſonat crumenula. GER. Perſoluam, ne cura.

LIBRI PRIMI FINIS.

SERMONVM CONVIVALIVM Georgij Pictorij Villingani Doctoris medici, Liber secundus.

ARGVMENTVM HVIVS LIBRI SECVNDI.

PArthos esse siticulosos. Sitim nō semper ferendam. De uini nobilitate. Cōsultor amœnus quis. De cultu Homerico & Pindarico. Quis sapientiæ cognatus. Bacchus cur Musas secum. Artem bibendi legibus constare. Ebrietatis definitio. Quis humor quauis hora dominetur. Signa dolorosi capitis. Quæ medico consideranda. Commensus ætatum, pueris & senib. à phlebotomia abstinendum. De Ioue Capitolino. Hyems quādo, & Ver. Aestas quando & Autumnus. De Lunæ quadris. De conuiuio Didonis. Quæ signa zodiaci euacuandūm conuenientia. Quando confortandæ uirtutes na-

turales. Quomodo planetarũ habenda ratio. Elemẽta quæ medicinalia. De regionibus. De uentis. De Platonis errore. Quæ melior complexio. De luxu Vitellij. De Pitaci statuto. De fortitudine Bacchi. Exempla frugalitatis. De Ionum tragematis. De nucũ præstantia. De quorundam uoracitate. Paroprepia quid.

LIBER SECVNDVS.

PERSONAE,

Mitio, Demea, Hospes.

MITIO,

Parthi siticulosi.

APud Scythas recepti moris esse narrant, plerunque sitibundos dici Parthos: & quantò plus biberint, tantò magis sitire. Quid si hæc in Germanũ quoque cudetur faba? Ego enim affatim hodie bibi prandendo, & nunc iterum sitis culpa, in tantum areo, ut nec bibula sitientior esse queat harena, seu Aridus pumex. DEM. Sed eos qui sitim tolerant nimiam, bibendi auiditatem sibi cõciliare fama est. Et Galeno teste, sine adiumento ferre supplicium: uelut idem clarißimè Interiorum libro scribit, quando febris ardentis

Sitis aliquãdo non ferenda.

ardentis molestia grauatum, morbo increscente, sitim extra debitum sustinuisse, & animam tandem efflasse docet. Longam lectionem Hippocrates sitim extinguere scribit: sed quis perpetuò legeret? Ego aliud consulerem. MIT. Quód nam? DEM. Vt hospes duos Plinianos liquores homini gratißimos, huc asportaret. MIT. Qui sunt isti liquores? DEM. Vinum intus applicandum, & oleum extra. MIT. Tibi facile subscribo, ut qui nouerim Asclepiadem uinum dixisse, maius & nobilius esse deorum potentia: quod non solum extinguat sitim, sed ad cibos quoq; appetentiam inducat & somnum. DEM. Hospiti ergo dic, quòd operi se accingat, & uinum nobis apponat. MIT. Id te consultore faciam: nam refert, utrum apponat, dum inuicem differant: uermiculum à nouo, dulce ab austero, & nigrum à diluto. DEM. Amœnus hic consultor habetur, qui ea interrogat, Mitio, quæ sunt interrogata facilia responsu, & quæ scit illum sedula exercitatione didicisse. Ego parum in uinosorum hara studui, & delectum unquam feci. Pro uoto igitur elige. Non enim sum delicatulus admodum, ut hoc mihi displiceat, quod alijs placet. MIT. Hæreo. Tamen utrum apposuerit hospes, placebit. Placet

Lectio sitim sedat.

Liquores Plinij.

Nobilitas uini.

Consultor amœnus quis.

enim uermiculum, seu uetus: quia uentriculum roborat, et ingesta concoquit. Et nouum item. quod diureticum est: licet parum sitim infringat. Necnon dulce: nam inter acrepala locum tenet. Et austerum, quia facilis est cõcoctionis. Atque nigrum, dum maximè nutritiuum est, et satiat. Dilutum abhorreo, saltem quòd flatus generet. Adsis igitur hospes, & uermiculum cum nigro appone, ut delectum habeamus. HOSP. In prõptu sunt uina, Demea: sed quem ciborum expectatis cultum? Homeri cum quidã laudant, quòd præparcus sit, & siti culosus: quidam Pindaricum, quòd luxu mul tu exundet, & sumptuosus habeatur, utrumlibet eligite. Nam utroq; uersum paratus sum. MIT. Μέσον ἄριστον, Cleobulus dixit, huic subscribimus: & philosophicum, hoc est, medium seu frugalem petimus: nisi diuersum censeat noster conuictor, Demea. DEM. Nequaquam. Esto quod delicias amem, lautumq; placeat: nimium tamen displicet, & bilem exagitat. MIT. Bilem? Quam bilem dicis? rubeam uel nigram? DEM. Rubeam. MIT. Te citius atrobilarium iudicassem, ob fuscedinem. DEM. Ipse profectò qualis sim, nescio: dum ad obiecta, uelut Chameleon subinde mutor. Etenim si quid dederis, sanguineus sum & ala-

Differunt genera uini.

Cultus quis Homericus.

Pindaricus luxus.

Medium, optimum.

Locus.

& alacris. Si quid ſubtraxeris, cholericus & leo. Si obiurgaueris, atro bilarius, urſi ritu obmurmurans. Si ebrius, phlegmaticus, glire ſomnolentior. MIT. Facetus homo es. Aſt ioco ſublato, nullus (meo iudicio) quãtumuis apprimè doctus, qualis ſim, facilè dixerit. Nam bis in die, totiesq; noctu, Protheum quempiam refero. A diei enim crepuſculo, in multum uſque diem ferè, ceu uetulus canis ringor, & latro, ualde ſenilis. Hinc uicti, Marſiæ inſtar, fronte obducta, angulum petens, clam muſsito, in occiduum uſque tempus: quod ſtatim me turpidum facit, & ad omnia munia deſidem, donec prima fax accendatur, quæ Pamphilum ingenerat actatoria ructantem, in Phoſphori penè aduentum. En quis in tanta diſſonantia concentum faceret? & certum meæ complexionis ſcopum attingeret? DEM. Id non tibi ſoli uſu uenit, ſed cunctis indiuiduis commune eſt, & genuinum. MIT. Quur autem? DEM. Hoc ſtatim audies, quum hoſpiti noſtro teſſeram dederimus ſui popinarij apparatus. Licet enim huc non philoſophandum ſceceſſerimus, ſed conuiuandum. Nouimus tamen ſapientiæ nihil tam affine, nihilq; tam cognatum, quàm quid pro tempore & loco habiles adducere ſermones. Conuiuentiamq; bonorum conuictorum

Sapientiæ cognatũ.

non fraudendam suo fragore seu condimento, quod est sermo amicus: qui non minus quàm uini dulcedo, conuiuium exhilarat: quod etiam=num Bacchi declarat sodalitium, qui temulen=tus garrulas secum nymphulas & Musas ingeniosas innuendum habuit, in conuiuijs loquendum, & scyrpos, non tamen anxios, sed doctos proponendos. Hospes igitur, si placet, anserem nobis appone sartagine tostum. HOSP. Placet maximè. Nam in chenoboscio saginandum alui, quem famulæ propediem deplumandum tradam. Vos interim congerrones bibite. MIT. Volentes boues agitas, hospes. Tamen cautè in hanc condescendendum harenam est, Demea. Nam bibendi ars suis etiam legibus constat. Augere enim corpus uolentibus, et re=molire induratum aluum, inter cibos bibere, lege cautum est: sed cohibere petentibus post cibum, & non affatim: ne turpis emergat ebrietas, quam beatus Augustinus ad cœlibes uirgi=nes scribens, sic definit: Ebrietas, omnium flagitiorum mater est, culparumq; materia, radix criminum, origo uitiorum, turbatio capitis, subuersio sensus, tempestas linguæ, procella corporis, naufragium tempestatis, amißio temporis, insania uoluntaria, ignominiosus languor, turpitudo morum, dedecus uitæ, honestatis in-

Sermo amicus, conuiuij condimentum.

Bacchus cur Musas secũ.

Ars bibendi leges habet.

Ebrietates diffinitio.


tis infamia, & animæ corruptela. DEM. A præfatis alias bibendi leges. Plinius eumerat. MIT. Quas? DEM. Vt hauriendo, bibens non respiciet, neque expuat, ac sermone non uacillet, neque in pauimento quid reliqui faciat: sed optima fide unico ictu plurimũ hauriat, & poculis minoribus plurimum addat. MIT. Nihil ad chordam hæ leges. Ebriosorum abominamur decreta sobrij: Romuli more bibentes, non beluino. Bibe saltem, Demea, ut promissa enarraturum proferas. DEM. En præbibo, sequere. Nam sapit hoc uillum. MIT. Sapit. Iam enarra. Promisisti enim compendiose ostensurum, quur omnibus indiuiduis genuinum sit: bis in die, totiesq; noctu in diuersos se mutare habitus. DEM. Promisi equidem. Ast humores, ex quibus humani corporis fabrica cõpaginata est, quos elementorum filios nominant, certas horas, ut in his dominentur, & corpus alterent, sibi adscriptitias habere, intellige. MIT. Ostende bone uir, quo modo. DEM. En breuem hanc Tabellam, quæ citra puluerem, totum aperit negocium.

Ebriosorum leges.

Humores elemẽtorum filij.

Quis hu-

Quis humor quauis hora dominetur.



Sic ergo

Sic ergo quæsitum solui, Mitio. MIT. Pulchrè quidem. Sed in malè habentibus, aut defectuosis, maiori symbolo hæc consideranda censuerim. DEM. Rectè quidem. Et medicis præcipuè, quibus non postremum ad inueniendam morbi cognitionem gradum ostendunt. Quod etiamnum uerum esse facillimè cognosces, si medico dixeris rationali, cui à notioribus innata est uia (ut Philosophi utar uerbis) non methodico uel circunforaneo. En ex dextra capitis parte laboro, acuto quasi symptomate, cum oris deprauato gustu, in amarum, siti accedente, & azahara, hoc est insomneitate. Confestim inquit, qua hora omnia hæc magis te affligũt? Si dixeris, mane, ab hora tertia diei, ad nonam ante meridiem: Rectè, inquit, biliosus te lancinat humor, calidus & siccus. Huic contrarietate in qualitatibus obuiandum est. Aërem igitur elige frigidum & humidum, cum pulticulis ex ptisanæ cremore, qui refrigerat & humectat, sitimq; proscribit, accedentibus sanguinis detractatione, & alij ad hanc rem conuenientibus. Si autem in sinistra te male affectum conquestus fueris, cum leui admodum capitis dolore, auribus & fronte algentibus, sine omni narium mucore, rauis oculis, facie squalida, orisq; saliua modicum acri,

Signa biliosi doloris in capite.

Cura doloris capitis.

Signa atrabilarij doloris in capite.

absque siti, cum appetentia & uigilijs. Mox ait, ab hora nona diei ad tertiam noctis, fortasse crudelior est morbus. Si annueris, furua bilis te malè habet, infert. Aërē igitur elige mediocriter calentem, lucidum, & serenum: Quumq; diuersi corporis uasa, melancholico succo referta notauerit, cum dieta mediocri, à uenæ sectione curā auspicatur. MIT. Spaciosum mare tranandum habent medici, si omnia sic amußitata expediant. Sed rogo, ut cœpisti: de pituita quoque & sanguine exempla ponas. DEM. Ponam, euerso prius cyatho: attende. Qui præsente medico posteriora capitis dolore narrat, tumidis genis, fluore madentibus oculis, naribus pituitosis, uuido ore, absque siti cum albicante lingua & desidia, subinfert citò, an non singula intensiora sint, ab hora tertia noctis usque ad primam facem, hoc est, ad horam nonam uesperuginis. Si respondeas esse intentiora: pituitam narrat esse causam, & alui subductiōe opus habere, quòd saburra, nisi tempestiuè proijciatur, caput mirificè aggrauet. Sed quādo sanguinis excessus sinciput interturbat, cum tumidula facie, hebescente auditu, temporum pulsibus citis, oculorum uenulis prominentibus, oris saliua dulcescente, cum inertia. Etiam si qua hora id magis

Cura.

Signa phlegmatici doloris.


Signa doloris à sanguine in capite.

fiat,

fiat, obticeas, sua sponte ab hora nona noctis usque ad tertiam Phosphori, grauius id fieri testatur. MIT. Lynceis ergo tuentur oculis medici. DEM. Imò centum opus habere dixeris, quales Argo poëtæ tribuunt. Nam alia adhuc sunt, & plura, quæ illis considerãda, ut rectè operentur, contingunt. Quis enim non optimum dixerit, partium uitæ humanæ quoque, & anni duplicis, solaris quippe & lunaris, pensitatim examinasse principales qualitates, quæ materialiter in elementis et elementatis omnibus rectißimè insunt? Quis item non proficuum fore censuerit, animalis circuli solertem habuisse indaginem? Planetarum quoque & consimilium? Dum meditando, horum cognitio prosperiorem inducere successum, animosiorémque ad agendum medicum dirigere consueuit. MIT. Tibi subscribo. Sed unde harum omium insurgeret cuique scientia? DEM. Ex hac tabella. Hæc enim qualitatum tam actiuarum, quàm paßiuarum, ob oculos ponit differentias.

Quæ medico consideranda.

MIT.


IVPPITER
est primus
sed sunt IOVIS
omnia plena
Aphricus
Chorus
Circus
Libanotus
Aparctias
Septentrio
Auster
Meridies
Euronotus
Vulturnus
Aquilo
Cecias
Subsolanus
Occidens
Aqua
Ultima Quadra
Hiems
Senium
Phlema
Humida
Frigida
Calida
Sicca
Aer
Prima Quadra
Ver
Adolescentia
Sanguis
HO MO
HO MO
Melancholia
Senectus
Autumnus
Tertia Quadra
Terra
Cholera
Iuuenta
Æstas
Secunda Quadra
Ignis
Oriens

MIT. Ponit equidem, ſed breuiter admodum, ut quis dubitare poßit, an hæc pro tam ardua re commodo eſſe queat. DEM. Non admodum. Nam ſingula rimatius declaranda ſunt. Quorſum enim attinet partium ætatis perſtrinxiſſe qualitates, ſi non earundem quoque dimenſiones dixero & fructum, ut medullitùs aperiatur negocium? MIT. At Galenus ſexto de Regimine ſanitatis, commenſum earum non ubique, nec ſemper conſtare narrat, uel propter diuerſas complexionum rationes, uel propter ſexum. Aut ob regionum, uel terrarum diſpares ſitus, ſeu ob cœli aut uictus rationis dißimilem temperiem. DEM. Rectè Galenus. Sed latitudinis modo ſic dimetimur, ut Adoleſcentia humecta ui præcellens & calore, ſicut in tabella patuit, in annum producatur ferè uigeſimumquintũ, aut trigeſimum. Et Iuuenta, adoleſcentiæ fini contigua, calida & ſicca, in annum trigeſimum quintum, aut quadrageſimum: quam comitatur ſenectus algens & ſicca: diminutionis occultæ tempus, in annum ferè quinquageſimum quintum, aut ſexageſimum finiens, donec incipiat Senium, manifeſtum exaggerans uitæ interitum, & ultimam ætatis coronidem. MIT. In quem autem finem hæc medico conſideranda ſunt?

Cõmenſus ætatum incertus.

Adoleſcentia in quotum annum.

Iuuenta.

Senectus.

Senium.

DEM.

DEM. In quem considerandæ sunt res naturales septem, elementa, commixtiones, humores, membra uirtutes, operationes & spiritus. His enim uelut appendices, non solùm ætatum annectuntur partes, sed colores quoque, consuetudo, sexus, regio, artificium & corporum qualitates: quod inde, hoc est, ex ætatum consideratione, malè habentibus, secundum contrarias dispositiones (sicut Galenus præcipit) contrariam uictus rationem citra maximos conatus præscribere possunt medici. Id etiamnum Cous senex primo Separatorũ sermonum, in multis locis edocet, maximè tamen Aphorismo decimotertio. Taceam prognostica, quæ inde feliciter quoque emergunt, sicut idem tertio libro pulchrè perstringit autor, dum affectus inuicem oppugnantes, uere & autumno expectandos infert. Alios pari modo dißidentes, æstate & hyeme, quos prudens medicus, si præsciuerit, facilè ne oboriantur, ablegare poterit.

De ing. sanit. lib. 9.

MIT. Et huc nimirum quæ Celsus scribit, apponenda uidentur, quando uitæ partes phlebotomando considerandas præcipit. Pueros enim, quòd resolutioni sint parati, propter extraneum colorem, aut quia duplici alimento opus habent (ut Galeno placet) à phlebotomia arcendos hortatur. Senes item quia facilè defe-

Pueri non phlebotomandi.

1. Aphoris. 13. comment.

ctionem

ctionem incidant, quòd natura insuetum non statim patiatur. Verùm Damascenus speciatim hoc declarat, Quando senes (inquit) à quadragesimo anno cephalicam, à quinquagesimo mediana, post sexagesimum basilicam, incidere desinant. Neque est quod Auenzoar nos moueat, qui puero trium annorum uenam incidit: quoniam tāta in eo fuit æstimatiua (scribit Auerrois) ut citra errorem omnia fecerit. Nec item Galenus, dum septuagenarij sanguinis eductionem concedit. Eos enim intelligit, quorum uasa plena, & uires robustæ sunt, non pumicea ariditate torpentes, uel autumno similes, hoc est frigidos & siccos: sed hyemi, quæ friget & madet, sicut Tabella docuit: tametsi paucißimis constet, quando uerò hyems sit. Nam uulgò tantùm frigore hyemem demetiuntur, sicut æstatem intenso calore, uer hirundinis uolatu, & autumnum uitium pampinis. DEM. Aliter tamen res habet. Sed animus nunc in patinis est parergō faciemus. Nam hospes Iouem Capitolinum sartagine tostum adfert. MIT. Quem Iouē intelligis? DEM. Anserem. HOSP. Saluete conuictores optimi: anser hic quemuis ad munus suū hortatur. MIT. Hunc excoriabimus Demea, à carne abstinentes, quæ durißima est digerendum,

Senes à phlebotomia abstineant.

Nota.

Auenzoar puerum phlebotomauit.

Auerrois 4 collig. ca. 40.

Qui senes phlebotomandi.

Iupiter Capitolinus anser.

Iocus in Mitio nem. dum. DEM. Saporosa tibi fortasse cutis est. MIT. Supra modum. DEM. Tibi igitur parens tuus prudenter consuluit, quòd incoriarum te non ordinauit. Nam coria rustici paranda, sedulus deuorasses. MIT. Rectè, si omnia coriũ anserinum sapuissent. Vescere Demea, nihilominus dicere cœpta contiMandere & loqui ciuile. nuans. DEM. Rectè Mitio. Flare & sorbere simul, difficile narrant: sed mandere & loqui, ciuile. Pergam igitur. Et aliter (ut dixi) à uulgi opinione res habet. Nam trimestre temHyems quid. pus est hyems, tria zodiaci permeans signa, Capricornum, Aquarium & Pisces, sterile, intermedians, autumnali uersioni & uernali: ex illa frigus, ex hac humiditatem attrahens, contractißimam faciens diem, nouem horarũ, & porrectißimam noctem, ter quinis horis constantem, pituitam suapte natura adaugens, dilatansq; sese à prima Capricorni parte, in priVer quando. mum Arietis gradum: ubi uer exorditur, æquè tres sibi associans menses, & tria circuli animalis signa, Arietem, Taurum & Geminos, temperatum, hyemis æstatisq; medium: hyeme quidem calentius & siccius, æstate frigidius & humidius, æquidium & æquinoctiũ: nam duodecim horarum & diem & noctem æquilibrat, sanguinis augmentatiuum, se finiens in

æstatis

æstatis principio, Phœbo quidem Cancri initium sub intrante. MIT. Cancer æstatem exorditur: sed quando finit? DEM. Itidem tribus exactis mẽsibus, & signis totidem. Cancro, Leone, & Virgine, medians uer & autũnum: ex uere calorem, & autumno siccitatem recipiens. Est enim calida & sicca bilis generatiua, & in autumni, leuitatũ intestinorum generatiui, principio finiens: quod Libra est, qui æstiuæ, & hyemali uersioni quoq; intermediat ex æstiua siccitatem, ex hyemali frigiditatem mutuans, æquidius & æquinoctius: nam pari lance, dies & nox tunc dimetiuntur, duodecim horarum, durans in caput Capricorni. Ex his igitur, certans quatuor uersionum solaris anni periodos habes Mitio, non populari fama dimensas. MIT. Vbertim sanè delineatas. Ast quomodo illas medico proficuas arbitraris? DEM. Auicenna hoc ob oculos ponit quarta primi, ubi hyemem & æstatem euacuationi non habiles edocet, quòd hyems humores expellendum, ratione intensi frigoris reddat inobedientes. Aestas propter extraneum calorem humores à centro ad circumferentias trãsmittat, motum faciens agitatiuum, spirituumq; resolutionem. Sed uer & autumnum maximè cõuenire scribit. Cui Isaac addit in libro de Ele-

Aestas quãdo.

Quomodo psit cognitio partium anni

In uere & autumno euacuandum

mentis: Ideo in principio ueris, humores proscribendos algentes, atram bilem quippe, ab autumno conseruatam, & pituitam ab hyeme contractam: ne in medio, propter calorem ueris ebulliant, & febres faciant: sed in fine expellendam rubeam bilem, propter eiusdem calorificam uim generatam, ne in æstate obsit, & à bona consistentia, corpora seducat. In autumno autem diuersum suadet, quoniam principiũ inhabile docet, quod corpora per diaphoresim æstatis sint euacuata. Et finem quoque parum cõuenire asserit, quòd hyemi aßimiletur: quæ humores in corporis secludat profundum eosq; expellendum sic progignat rebelles, ut medicinæ attractiua non sufficiat. Sed uernum medium pollice commendat utroque, ob iustam quam habet temperiem in actiuis. Cui primam partem lunaris anni, ferè similem arbitrantur, pari modo euacuationi proficuam: quod temperatè sit & calida & humida: unde humores expellendum reddantur habiliores, humectando liquefacti, potißimùm in ætate, quam adolescentiam uocant, existentibus. Quoniam secunda lunationis pars, quæ calida est & sicca, iuuenibus trigintaquinque, uel quadraginta annorum propria est. Et tertia, senibus conueniens annorum quinquaginta, algens & sicca. Sed quarta

Cur in uere purgandum.

prima lunaris quadra utilis.

quarta, in hac re nulli, quòd pòros ob frigiditatem concludat, humoresq; cōgelando faciat proscribendum rebelles, eligenda, dum frigida & humida. Non dißimilis tribus animalis circuli signis, Cancro, Scorpioni & Piscibus, quæ phlegmatica sunt, potentia, ratione uariorum aspectuum, iam hunc, iam alium, diuersis tamē medicinæ instrumentis expurgare humorem. MIT. Tametsi hæc, ut sermonibus conuiuali bus inserantur, alta nimium uideantur, quum inter conuiuas philosophia uersari non debeat nimis censoria, uer ex tertio cœlo exquisitißimè deuocata. Scio tamen quemuis gaudere, si ad ea quæ longa experientia didicit, in mediū danda, prouocetur. Nam quisque non uult id latere, quod studuit & nouit. Rogo ergo, ut de hac re quicquid habes, huc colloquēdum effundas. Considerans, in conuiuijs non tantùm nitoribus indulgendum culinarijs, sed mētis cultui, etiam quid condonandum. DEM. Isocratem Græcum sequi nolo, qui dum in cōuiuio oraretur, ut aliquid in medium de eloquētiæ suæ fonte proferret. ueniam deprecatus est, dicens: quæ præsens locus exigit, nō calleo, quæ calleo: nec loci præsenti, nec tēpori sunt apta. Quia enim tēpestiuè petis, hoc est, ea petis, quæ facilè ostēdere possum, huc totam rem ad oculos ponam.

Philosophia tetrica non interſit cōuiuijs.

Isocratis dictum.

Luna enim decurrente

- Per cancrum in △ uel * aspectu, cum
  - Venere, confortatur uirtus expulsiua, pro cholera euacuanda.
  - Sole aut Marte, adiuuatur expulsiua, pro phlegmate euacuando.
  - Ioue, adiuuatur expulsiua, pro melancholia euacuanda.
  - cum electuario.
- Per scorpionem in aspectu △ uel * cũ
  - Venere, confortatur uirtus expulsiua, pro cholera euacuanda.
  - Sole aut Marte, adiuuatur expulsiua, pro phlegmate euacuando.
  - Ioue, confortatur expulsiua pro melancholia euacuanda.
  - cum potione.
- Per pisces, in aspectu △ aut *, cum
  - Venere, confortatur uirtus expulsiua, pro cholera euacuanda.
  - Sole aut Marte, adiuuatur expulsiua, pro phlegmate euacuando.
  - Ioue, adiuuatur expulsiua, pro melancholia euacuanda.
  - Cum pillulis.

MIT. Placet profectò, placet tale conuiuium, & bifariàm. Nam uentrem satiat, & mentem erigit, ut discendi auidior reddat. In conuiuio, quod dido exhibuit Aeneæ, & suis militibus, multi fuerunt apparatus, ut Maro scribit secundo Aeneidos. Nam cuncta erant aurea, nulla quies erat in epulis & delicijs. Sed maior hîc uidetur apparatus, quem tu ex tuæ eruditionis in mènsam effundis caltho, aurea uasa refert, diuersas epulas, & meras delicias: perge saltem. Et in quem usum medico circuli animalis signa, quæ item præcedens tabella habet, uideantur consideranda, enarra. DEM. Nedum inferius ducere præsumit, tempus sibi eligit, quo Luna per signa decurrit ruminantia. MIT. Quæ sunt ea? DEM. Aries, Taurus, & Capricornus. MIT. Quamobrem? DEM. In his enim propter cœlestem afflatum, facilè nausea oboritur, seu uomitus. MIT. Quum ergo euomitioni studet medicus, hæc conueniunt? DEM. Maximè. MIT. Et alium non habent usum medicis. DEM. habent.

Didonis conuiuium deliciosum.

Signa ruminantia cuacuanda.

Quando uirtutes naturales confortantur.

Confortandã enim nouit medicus.

- Attractiuam,
- Retentiuam.
- Digestiuam,
- Expulsiuam,

Luna decurrente per signa

- Ignea,
  - Aries.
  - Leo.
  - Sagittarius.
- Terrea,
  - Virgo.
  - Taurus.
  - Capricornus.
- Aerea,
  - Gemini.
  - Libra.
  - Aquarius.
- Aquea
  - Cancer.
  - Scorpio
  - Pisces.

Hoc etiamnum usu uenit, quum circa sanguinis detractionem laborat medicus.

Qua ratio-

Qua ratione phlebotomandum.

Quoniam signis instantibus

Cholericis,	Aries, Leo, Sagittarius,	Phlegmaticos,
Sanguineis,	Gemini, Libra, Aquarius,	melãchólicos,
Phlegmaticis,	Scorpio, Pisces, Cancer,	cholericos
Melancholicis,	Taurus, Virgo, Capricor.	euacuationũ inutilia

Vt sunt

Per phlebotomiam nouit euacuandos.

MIT. Omnia

MIT. Omnia quæ Tabula habet, declarasti Demea, pensitatim profectò, humores, ætates, partes anni, mutationes Lunæ, animalis circuli signa: nunc planetæ restant. DEM. Horum cognitionem necessariam audiuisti Medico, dum singillatim Aspectum & Planetarũ mentionem fecimus. Sed ut hospitem ad officium suũ iam moneamus, superest. Nam uacua sunt omnia uitra. Hospes ergo ad calices sta, & Bacchum Musis iunge. HOSP. Nihil negligam. Tu cœptis fortiter insta, & de Planetis rem continua. DEM. Saturnum ergo considerat medicus, quòd frigidæ et siccæ complexionis sit, medicinæ exsoluentis opus impedire, humores ingrassando, uentriculiq; bonam deijciendo crasim. Et Martem, qui calidus & siccus est, usq; adeò humores reddere effrenes euacuando, ut sanguis nonnunquam effluat, & intestina lædat. Considerat item à cura quiescendũ, Planeta fortificato uel dominante, qui morbo curando præsidet. Quod uerum esse, facilè deprehendes, si medicum in Saturni dominio à quartana demolienda abstinere notaueris. Et Ioue gubernante, à synocho & synocha Marte, à tertiana, & omnibus morbis à bile ortum trahentibus. Sole, ab ethica: ac Mercurio, ab ephimera. MIT. Elementorum item qualitates

Quomodo planetarum habẽda ratio.

litates praecedens Tabella habet. Non dices, qualiter medico sint consideranda? DEM. Paucis equidem, maximè naturalia. MIT. Quid? Sunt alia quoque à terra, aere, aqua, & igne elementa? DEM. Tria medicinalia. MIT. Dic quae sunt ea. DEM. Sperma uiri, mulieris & sanguis menstruus. MIT. De primis enarra. DEM. Medicus considerat illa in quantum sunt omnia in diuiduorum principia prima. MIT. Sed quur naturalia dicis? DEM. Quòd rerum sagacissima opifex natura, elementa per symmetriam in unum compingat, ut sanitatem praestet, quae naturalis est amica. MIT: Sed dic quomodo prima sunt principia? DEM. Terra enim elementum ossa refert, aer carnem, ignis spiritum uitalem, & aqua pituitam: quae hominem constituunt, medico sic contemplandam, ut in regionibus quae calent, tam orientalibus quàm meridionalibus, lapsis corporibus, pharmaci dosim, quantitate et qualitate partionem exhibeat, quàm frigidis regionibus, & uerso modo pleniorem in frigidis, quae occasum & septentrionem attingunt. MIT. Ast uentos, in quem usum Tabella habet? DEM. Quoniam ex his futura pronosticat medicus. Si enim subsolanus, aut sui collaterales calidi

Elementa quae medicinalia.

Elementa ad constitutionem hominum.

Regiones medico contemplandae.

Ex uentis medici pronostica.

& sicci spirauerint, acutißimas præsagire po-
Auster. terit febres. Si Auster cũ suis, calidus & humi-
dus, cephaleam, & ulcera sanguinea. Si Zephi
Zephirus. rus cum Aphrico & choro frigidi & humidi,
lethargũ, aurium tinnitum, paralysim & apo-
Aparctias. plexiam. Si uerò Aparctias, et alij duo qui late
ra claudunt, corpora ad bonam sanitatem præ
dispofita. MIT. Singula profectò, quæ cir-
cularis planities habet, mira breuitate, cum fru
ctu quoque, perstrinxisti Demea: sed humo-
rum, quos Tabellæ centrum habet, & quorum
ab initio facta est mentio, adhuc subit memo-
Error Platonis in Timeo. ria. Nam circa illos, Platonem tam eminentis
doctrinæ philosophum, adeò magnum errorẽ
commisisse supra modum miror. Is enim disse-
rens in Timeo de humoribus, ex cholera quo-
tidianas oboriri scribit, tertianas ex pituita, ex
atra bile quartanas: profectò contra omnium
medicorum confessa, & maximè Galeni alio-
rum facilè principis, quando de febrium cir-
Ex quibus humorib. febres. cuitu sexta particula, periodum febris phleg
maticæ uigintiquatuor horarum esse testatur:
tertianas, quadragintaocto: quartanæ, septua-
ginta duarum. Ex quibus contra Platonis as-
serta, ex pituita quotidianam, ex cholera ter-
tianam et atra bilæ quartanam fieri, clarißimè
deprehẽdimus. Id quod etiamnum manifestiùs
indicat,

indicat, Definitionum medicarũ libro, sequentibus uerbis: quotidiana singulis diebus ac noctibus, ut plurimum, eodem tempore reuertitur. Tertiana unum diem intermittit, tertio redit: & quartana duos, ac quarto redit. DEM. Platoni conniuendum est, si medica non examussatim adeò discutit. Nam in hac re Galenum non assequitur, qui patre natus medico, & à cunis medicinæ studuit. MIT. Certê: sed idem Plato, ex sanguine synochas & synochos fieri testatur. Non obstante, quod alibi dicit, sanguinem esse carnium & uniuersi corporis pabulum, naturæq; thesaurum adeò proficuum, ut eo pereunte, uita pereat. DEM. Hîc cedendum Platoni ratio suadet. Nam bene narrat, quum ille humor quantitate & qualitate exundat, quo in uera remanente temperie, non alius præstantior reperitur, qui magis (est enim spirituum materia) uitam uirtutisq; uegetatricis operationem promoueat. Specimen sunt, quos à sanguine sanguineos dicũt, qui ob bonam crasim, plerunque sereno animo sunt, & uiuaciores. MIT. Viuaciores? Ego atrobilarios istis præposuissem, quòd durus & immobilis humor sit, atra bilis. DEM. Nequaquam: neutrum enim uitæ principium habent, sed mortis potius aut torporis. Nam frigidi sunt

Galeni pater medicus.

Sanguis spirituum materia.

Melancholici non uiuaces.

gidi sunt & sicci, quum sanguinei ex diametro illis oppugnent, calidi & humidi existentes. MIT. Qui bonitate sanguineos sequuntur? DEM. Los cholericos nominant. Etenim qualitatem unam, uitæ proficuam obtinent, calidum quippe sicco accedente. MIT. Sed pituitosi pari modo unam obtinent. Nam frigidi sunt & humidi. DEM. Verum est, obtinent unam, sed illa cholerici qualitas, actiua est & fortior: phlegmatici, paßiua existente, quæ leuior & naturæ minus grata. MIT. Sanguineos autem lue pestilentiali grassante, proniores in eam narrant, minusq; superstites, quàm cætera complexionata. DEM. Propter ebullitionem hoc fit, quæ symbolum illis impingit. Tritum enim est, Faciliorem fieri transitum, si rei inhæserit symbolum. MIT. Sed mẽte repostum ad huc latet Demea, quòd ab initio lautum tibi bilem mouere dixeras: dic rogo, quur bilem? DEM. Quòd luxus displiceat, & saltem quod medium est, amem. MIT. Hoc item amo: nihilominus ferculorum non repudio uarietatem, ut delectum habeam. DEM. Natura uel incrudis fabis, aut radiculis delectum habet. Quem delectum quærens, si naturæ capistro traharis? Si execrãdam spreueris appetentiam? Si denique aureæ

Cholerici melancholicis uiuaciores.

Sanguinei ad luem pestilentialem proniores.

Naturæ facilis est delectus

pronus

pronus inhæseris temperantiæ, eiusdem naturæ pedissequæ? Certè Mitio, nulla res est, quæ hominem magis nō hominem faciat, quàm palatus, quàm gula, popinæq; immoderatus amor. Disperéam, si fratris Auli Vitellij mensam, quæ duo millia piscium, & septem auium habuisse fertur lautam dixerim aut iucundam Neque istam quàm Aulus Vitellius ipse, scaurorum iecinoribus, & phasianorum pauonumq; cerebellis instruxit. MIT. Tibi subscribo Demea. Sed quàm malè passim audierit Pericles, dum unius cibi apparatu, satiatus domi uixit, literis demādatum est. Item Cynicus Diogenes, qui radiculis uescebatur, dolio contentus. Et Curius, raparum comestor. DEM. Multi digito nouerunt delineare circulum, rari autem centrum, id est, circuli medium scire possunt. Euclides tamen inueniendum theorema dedit. Sed nequaquam te inuenisse dixeris, si Apici aut Vitellij commendaueris deperditā ingluuiē. Si Aesopi ualde sumptuosas patinas, uel Lydorum multijugas caricas, aut deplorandam miselli Abronis uitam. Non item si Phormionis thorum præparcum, aut Xenocratis caseolos, uel rapas Curij, seu Pythagoræ fabas et Euclionis unguiū resegmina Medium tenuê re beati. Huic Cæsar Augustus sedulā nauauit operam

Temperantia naturæ pedissequa.

Fratris Vitellij luxus.

Quorundam sordities.

Euclides centrum inuenit.

Augusto medium placuit.

operam

operam: & Pindarus, quando uterque ea salutem obtulit, quæ frugalitati conducerent, uentremq; satiarent. Et Scythæ quoq;, quibus admodum sacer erat, iustus conuictus, ut per hũc uelut sacram & sanctam rem iurare consueuerint, MIT. Primis ætatibus maiorem floruisse (sicut iam primùm quoque dixisti) conuictus frugalitatẽ, quam uel Augustus, uel Pericles, aut Scythæ coluerint, facilè constat. Sed alia uita, aliam diætam postulare, in confesso est. Seleucus Locrensibus uinum adeò interdixit, ut etiam morbo affectis dari inhibuerit: cauitq;, ut qui uinum biberet, capite lueret. Indi admodum fuerunt abstemij, ut nisi sacrorum causa, uinum bibere nulli permissum fuerit. Siq; mulier temulentum regem occidisset, donaretur hoc munere, ut successori nuberet. Pitacus item duplici pœna, si quid deliquissent, ebrios puniri statuit: ut formidine supplicij, à uino promptius abstinerent. Quinetiam Aegyptiorum lex erat, ut certa uini subtaxata mensura, Regi quotidianis adderetur ferculis: ultra quam excedere non licebat, ne sui impos, per occasionem & licentiam, et turpidini & sordidus uacaret. Ast diuersum est nostro seculo. Et mirum, quanta turma in ebrietatis fœdam coloniam, agminatim, non solùm pullatorum, uel

Scythæ per conuictum iurauerunt.

Seleuci edictũ

Indi abstemij.

Pitaci statutũ.

Aegyptiorum Lex.

ex triuio emergentium, sed principum quoque & ducum confluat. Videas enim, quos non irruentes hostium numerosi exercitus uicerint, à Baacho uictos: quos nec uiolentia tela, nec onager, nec urbina, nec catapulta, non testudo, pelta, uel parmula strauit, seu sternere potuit, uino adeò superatos, ut fortes esse desierint, porci, canes, simiæ, leones aut lupi effecti. Videas item quos nec imber, seu frigoris horror, nec tot locorum, tot fluminum, tot tantorumq; marium formidabilis difficultas, & procellosa magnitudo perterruit, bibendi ardore fatigatos, Herculeoq; scypho in tãtum prostratos, ut currus triumphales, Bachi uictoris, quasi concathenati turpiter sequantur. Nec mirum, alliciẽte magna optimorum uinorum diuersitate: thoro enim, quem ex contortis apparabãt herbis, eo tempore nunc ebore & auro, Mamertinum apponũt, Appianũ, Phalernum, Chium, Thaßim, Lesbium, Creticum, Coum, Rhodium, & huius generis aliquot myriades. Ante Persicum bellum, Romæ lautum dicebatur conuiuium, si ex fabarum scobe, cum aqua, pultem apposuissent, aut ex glãde panes. Athenis item si ficus, quibus omnium cibariorum uice cõuiuantes sunt usi. Argæi præterea magni duxerunt pira. Mœotici, milium inde panes formabant.

Bacchus fortes uincit.

Exempla frugalitatis.

bant. Medi, amigdala. Ichthiophagi, pisces. Aethiopes, locustas, & arundinum fructus. Getuli, carnes ferinas. Chelonophagi, testudines. Monades, lac. Indi, calistiæ semen: sed reges eorum holus. Nunc autem nequaquam conuiuas exceptos lautè dixeris, si non ad Phasim usque curiosiùs nauigaueris, aut Scholõ: ut gulæ mancipatos, omni ferarum genere impleas, ut Lychnobios, qui ad lucernam uiuunt, in reliquum mero & somno sepultos obfarcias. Nam ceruos adesse cogeris, capreolos, damas, apros, ursos, lynces, cuniculos, lepores, dorcades, histrices, cercopithecos. Et piscium genera, quæ Plinius septuagintaquatuor enarrat: crustisq; tecta, triginta. Murenas enim obtulisse conuenit Siculas, quot Hirtius mutuò dedit Cæsari, quarum sex millia fuerunt. Anguillas, indicas, tricenorum pedum, ex Gange captas. Mugiles ueloces, quos cephalos à capite nominant. Mulos barbatulos octuaginta librarum, ex indico sinu. Loligines bipedales. Lupos Tibertinos. Auratas Sergij delicias. Mœnas breues. Scauros Carpathios. Accipenseres uersis squammis. Echinos Cacij cibum. Murices, quorum sanguine tinctores colorãdum utentur. Conchas cæcas. Testudines domiferas. Cochleas amphibias. Cãcros petrosos, & omniuoros. Et alia huius farinæ

Luxus nostri seculi notatur

Quadrupedũ genera.

Piscium uaria genera.

ius farinæ multa plaustra. Olim poculũ fuit caua manus, cornu impolitũ, cochleæ domus, uel nucis testa. Iam tot ex auro et argẽto poculorũ delicias exornãt genera, quòd uel Pythagoram subterfugiat numerãdi modus. Stamnium enim habent, Cadiscum, cadum, Lagenam, Gasteriũ, Cymbam, Pateram, Bauculium, Oenoptam, Cululum, Carthesiam, Cantharum, Amphoram, Oenophorum, Sympimium, Phialam, & Oppam. DEM. Rectè Mitio: sed dum locutulegij sermones continuamus, nihil bibimus. Bibe Mitio. MIT. Quod satis est bibi, festinanter quidem, nam sitiebã. Iam cessabo. DEM. Nõ semper bibendũ est siti, sed uoluptati quandoq;. MIT. Archesilao id uulgare fuit, sed anno ætatis septuagesimo quinto, dum uinum ultra modum hauserat, animam dedit. DEM. Inde fortaßis quòd insitum calorem perpusillum habuit, quãdo senex erat, quem uini copia suffocauit. MIT. Nescio profectò. Sed ex Aristotele habeo Syracusis potatorem quendã uetulum, ouis gallinæ suppositis, tam diu sine intermißione uinum bibisse, donec oua fœtum excluderent, qui superuixerit tamen. DEM. Aristoteli fidem habeo. Tamen quia bibẽdi uela complicas Mitio, hospitis erit secundas exhibere mensas, non Ionum, qui Corollas dederũt

Vasorum multa genera.

Archesilaus uino perijt.

Aristot. 62. animalium.

Nota.

Ionum tragemata.

& unguenta, luxuriæ irritamenta. Sed pro patrio ritu caseum, nuces & pira. MIT. Tamen caseum repudiant medici. DEM. Si nimius sit & uetulus, quoniam in dosi auara stomachum sigillare scribunt. MIT. Et nuces damnãt, uelut stomacho inutiles et capiti, dum concoctu sunt difficiles, maximè tamen quas Basilicas uocant, seu Gallicas. DEM. Hãc inter fructus uel inde palmam tenere facile intelligitur, dum in ea tam diligẽs natura, rerum opifex, laborauit. Hanc enim solam inter poma compactili operimento, & bifida putaminum carina clausit, ac nucleos quadripartita distinctione, lignea membrana intersecante, diuisit: magis tamen recentem laudarim, quàm siccã, quæ unguiosior est & minus grata: ponticã macris habilẽ duco, quòd corporis pinguedini supra modũ addat, et sperma augeat. MITIO. Pira ex sanitatis foro expungit Auicenna, & alios fermè omnes fructus. DEM. Expungit. Sed exercitatis labore, & cholera abũdantibus rubea, in æstate, & ante alias epulas, concedit. MIT. Quamobrem? Tamen magnatibus cibum esse gratissimum, facilè cõstat fructus. DEM. Quòd aptissimos reddãt homines ad febrium ardores, calore stomachum priuantes. Tu tamen Mitio, id non statim optimum

Caseus sigillũ stomachi.

Nux inter fructus palmam teneat.

Auellana impinguat.

Pira non ualẽt

mum cēseas, quod magnates amant: nam rarò medium tenent, magis luxum, seu magnificen= tiæ liberalitatis asseclæ extremū ἀπειροκαλί αν id est, superbiam amantes: etiamsi cibos nō obserues, sed uestitū. Nam quid aliud fuerat Luculli tam ingens numerus, quàm superbia? qui dum rogatus, an posset centum chlamydes or= nando theatro Romã mutuò dare: Respondit se milia habere quinq;, ut omnes uel partē tol= lerent. Quem minimè dici superbum putaue- rim, aut intemperatū, si tot habuisset, quod pro temporū qualitate necessitas postulasset. Sicut intemperatū etiam nō dixerim hominē, qui ob corporis magnitudinē, uel stomachi sui feruo- rē multo potu utimur et cibo, quemadmodū de Hercule scribunt authores, quem nauigantem, ex cymba frequēter bibisse, et unico prandio, integrum bouem absumpsisse fama est. Qualē Crotoniatã Milonē quoq; fuisse recitant, dum una cœna triginta panes comedisse fertur. Et Phagum, quo Aurelianus imperator delectaba tur, quando ante suam mensam integrum aprū centum panes, ueruecem & procellum come= derat: biberat autē infundibulo adposito plus orca, Debilium multumq; algentium uentricu lorum homines, qui ægrè, quicquid ingestū fue rit, digerãt si plus satis deuorēt, et magis quàm

ἀπειροκαλία.

Lucullus superbus.

Hercules Pamphages.

naturæ usus postulat, intemperantes potius dixerim. Id quod etiamnum in altero quoq; usu uenit magnificentiæ extremo, quod est παρο=πρέπεια, id pusillanimitatē, sed indecētiā dicūt, quum quis in rebus honestis præter decorum sordidus nimium fuerit, aut Codri instar præparcus. Quales nunc paßim nostra secula habent, cùm ex triuio homines, tum etiam nobiles. Reperies enim qui citius sua paterna bona, quum minimè deceat petauristis exponāt, funambulis, ambubaijs, epithimodipnis, parasitis, circulatoribus, agyrtis, præstigiatoribus, scurris, tympanistrij mediastinis, sycophantis, fistulatoribus, et reliquis huius sentinæ, aut fecis potius, umbris, quàm uel amicis, seu quorum opera diu noctuq; utuntur, uel etiam egenis, magis studentes præfatorum esse cōsortes, quàm optimorū hominum Mecœnates. Quod uerum esse uel cæci uideant, dum per compita paßim aureis & argenteis clypeis magis panopliati comparent, quàm uel Iacobitæ conchis ex Hispanico mari collectis. Olim regium fuit, & maximè dignitatis, armigerum fuisse: nunc isti philoxeni & turbida hominum fex, magnatum & nobilium arma in clypeis excul pta, uelut armigeri in ganneis, hospitijs, triuijs popinis, tabernis, & lustris circumferunt, plus

gratiæ

gratiæ in domibus regum poßidentes, quàm uel optimorum, uel selectißimorum hominum quisquam. MIT. Omnia uera sunt quæ dicis, mi Demea. Ast Cecilium audi, qui ferenda docet minimè mutanda, illa hominum peruersitas callem obduxit, loris aurei medij nō assuescit. DEM. Certè. Sed quod de hac re superest, si placet, in aliud differemus tēpus: nunc hospitem admonentes, quod rationē subducat, ut symbolum quisq; persoluat. HOSP. Subduxi. Restat igitur, ut qui tres uitri nodos enodauerit, duas uini metretas persoluat. DEM. Meum ergo pensum absoluam: nam debitor esse nequeo, porrige uitrum. MIT. Persoluam & meū, hac lege, ut omnia mea dicta quæ tibi ex sermonum conuiualium elencho expungenda uidentur, susq; deq; feras, & uino inscribas. DEM. Idem à te peto. Vale & salue hospes. HOSP. Viuite felices ambo.

LIBRI SECVNDI FINIS.

SERMONVM CONVIVALIVM Georgij pictorij Villingani Doctoris medici, Liber tertius.

ARGVMENTVM HVIVS LIBRI TERTII.

MEdicis non esse paciscendum. Puniendum qui doctorem simulat. Iupiter propter tria à Momo culpatus. Varia conuiuiorum genera. Quæ hora conuiuio congrua. Socratis egregiè dictum de conuiuis. Coqui responsum ad Dionysium. Epulorum condimentum fames. Historia ridiculosa de quodã medico. Qui Pausaniæ optimus medicus. Socrates de ægrotis. Crassus, Agelastus dictus. Quomodo quidam ecclesiastes mirificè curatus.

LIBER TERTIVS

PERSONAE.
Crito, Lydus, Hospes.

CRITO,

QVò tam perpeti uolatu Lyde? LYD. In proximas ædes, Crito. CRI. Ad hospitem Oenophilum? LYD. Non, sed aduentitium quendam mihi affinem, uocatus, inuisam. CRITO Quid petit ille? LYDVS Aegrotus appulit, & cum doctore medico paciscі, ut reualeat, statuit. CRI. Et quid opus est tua præsentia? LYDVS Ne solus, quicquid actū fuerit testetur. CRI. Ast qui iura callent paciscentem medicum periurio damnant, atrocißimoq; puniendum supplicio censent. LYD. Quamobrem CR. Quòd in tyrocinio suæ artis, ex formula Hippocratis iuret, ullis pactionibus infirmis se curā adhibiturū. LYD. Sed malim ad curæ principium cum medico conuenire. CRI. Rectè, si nō obstaret, quòd uerisimile sit, malè habentem uereri, ne medico displiceat, si non pro uoto satis daturū promiserit. LYD. An is qui nunc præstò est, iurauerit, nulli patet. CR.

Medici nō paciscantur.

Omnes iurant, quum doctorali coronantur mitra. LYD. Non coronatum arbitror, sed doctorem simulare tantùm. CRI. Baldus extra ordinem puniendum docet, qui doctorem simulat. Et iudicio falsi reum, si insignibus utatur. LYD. Vtitur quidem, & facie doctorẽ refert, sed in recessu quid habeat, maximè latet. CRI. Momum ergo reprehensionis & maledicentiæ deum, meritò in tribus Iouem arguisse narrant. Quippe quòd capris inutiliter cornua fecerit reflexa, quibus se non tueri possint. Et tauris, eadem non armis addiderit, ut uiolentius impeterẽt. Hominiq; pectus nõ creatit fenestratũ, ut quid intus haberet, quisq; per uitrum intueretur, ne quem deciperet: dum foris Ganymedes compareat, qui intus Thersites sit, uel Corintheo deformior. Sed audi Lyde, cõsultius uidetur, ut priusquàm affinem tuum cõuenias, hîc in hospitio alter alteri congerro sit, & uiuamus, maximè quum hora quæ te uocat, nondum audita est. LYD. Placet profectò: saltem ut tertium habeamus, qui rectum conuiuij numerum compleat. CRI. Hospes, omnium horarum (ut scis) homo est, cui si uerbulum dixeris, non negabit. LYD. Si ergo uidetur, hospitem alloquar. CRI. Videtur. LYD. Oenophile quidam aduentitius tuo la

Puniẽdus qui doctorem simulat.

Iupiter propter tria à Momo culpatus.

titat

titat hoſpitio male habens, quem, ut cum Medico paciſcatur: inuiſere ſtatui: nam mihi affinis eſt. Re tamen penſitata, inter nos ratum eſt, prius modicum conuiuari. Rogamus igitur, ut iuſto conſtet numero cõuiuium, tertius eſſe uelis ſympota. HOS. In hac re, non eſt quòd me roges Lyde: nam mea ſponte lubens conuiuor. Et eò lubentius, ut uobis de huius medici paucula narrem præſtantia. Sed in primis adponam, ut menſa niteat. Tu Crito, quid adponẽdum ſit indica. CRI. Nolumus Græcum conuiuium ex melle, ſale, et ouo. Nec Ibericum, ex glan de & lingua ueru toſta. Nam item Platonicum cicere & faba paratum. Sed Atticum, ex omnigenis cupedijs, ut palatum reficiat, paratum. Tu igitur hoſpes, qui adponendum duxeris, cura, & ocius. Nam conuiuij nunc eſt hora congrua. HOS. Quam arbitraris congruam? CRI. Quã (Laertio teſte) Cynicus Diogenes indicat: quando, inquit, habenti congrua hora eſt quum fameſcit, non habenti quũ habere poteſt. HOSP. Ex amphibijs, ſi uultis adponam: piſces etenim & carnes habeo. CRI. Non, ſed piſcium abſq; carnibus quicquid habes. HOSP. Aquatilem habeo lupũ, gingibere conditum & croco: cancros item petroſos & omniuoros. LYD. Si mihi hoſpi

Varia conuiuiorũ genera.

Quæ hora cõuiuio cõgrua.

Socratis dictũ de conuiuis

Natura paucis contenta.

Coqui responsum Ad Dionysium.

Epularũ condimentum fames.

tem aliquando agere contingeret, Socratis uteretur uerbis, dum tenui cœna conuiuas excipere statuisset: dicebat enim, Vocabo cõuiuas, qui si boni fuerint, quicquid dabitur, æquanimiter ferent: si mali, non est curandum qualiter ferant. CR. Cicero in Tusculanis quæstionibus paruo cultu naturam, confessus est contentã, quod Persarum testatur conuictus ex nudo pane & nasturtio. Sed nos laudamus ueteres, & nostris utimur annis. Pisces appone & cancros, utroq; enim pari modo delectamur. Tu item Lyde, oblatis condimentum adde. LYD. Quòd nam? CRI. confabulandi occasionem. Nisi enim lepidis & facetis congrediatur salibus in conuiuio, quicquid deliciarum apponitur, insipidum censetur, uel coquo attestante, quẽ Dionysius habuit tyrannus, Dionysius enim quũ à prãdio negasset, se in cibo delectatum: coquus inquit, Nõ est mirum, quoniam nullum præstò fuit epularum condimentum. Defuit enim fames, sitis, & bellorum hominum cõuentus, qui connugando & congarriendo facetijs & salibus cibum edulcassent amariorem. HOS. Si uultis ego prior selectißimo inspergam aromate cibum oblatum & selectiore, quàm uel cinamomum sit, aut crocus. De nostro etenim medico lepidißimam recitabo historiam. LYD.

Ab initio

Ab initio te recitaturũ promisisti: noli amplius esse debitor: dic audacter. HOS. Audite igitur, is aliquando egregiè docto Romæ conuixit medico, qui sphærulas parare consueuerat, seu pillulas ad uarios morbos multum utiles, multumq́; proficuas. Vnde ridiculus ille, medicum se facilè ratus futurum, si tales haberet, oppidatimq́; circumferret. Confecto igitur magno earum numero, uagari cœpit per oppida, & uillas, medicum excellentem professus, curansq́; persæpe pillularum adminiculo satis dextro Apolline. Denuo autem quũ fama passim percrebuisset, simplex quidam qui asinum lugebat amissum, hunc temerarium conuenit, quærens an hæ pillulæ ad inueniendum asinum quoque conferant. Annuit ille: & statim septem deglutiẽdas ei numerat quibus uesperi deglutitis, mane locum exit, ut asinum quærat in campo, ubi à uia in arundinetum à pillulis coactus, secessit, & asinum ibi pascentem reperit. Qui postea medicum, quòd tam præsentes haberet pillulas, Aesculapium dixit. Vnde plebis uulgariumq́; maximus ad istũ concursus indies cernitur. Ego profectò non alium mihi optarim hospitem. Nam subinde alios ad se allicit, ut lucrer. Hominis ignorantiam optimè scio, sed non nisi honoris titulo præfato ipsum allo

Historia satis ridiculosa de quodã medico.

quor: si salutat, caput aperio: si resalutat, item aperio. CRI. Nunquam autem prodit aures, leonis exuuio tectus, ut asinū sciāt? HOS. Frequenter: sed stolida plebs, cui facile imponi tur adeò, si præstò sit error, ex animi caligine cæcutit, ut eam meritò, quod rectum est, saltem per Cimmerias tenebras intueri dixeris. LYD. Hunc Pausanias optimum dixisset medicum. CRI. Cur optimum, artis medendi inscium? LYD. Quòd hunc arbitraretur optimum qui non sineret ægrotos suos extabescere, sed quàm primùm sepeliret. CRI. Ego citius ficulneum & Orci mancipium dicerem, quòd sutor ultra crepidam, in re tua ardua saperet. HOSP. Socrati subscribit, qui eorum ex nulla parte respectum habendum censuit, qui reipublicæ inutiles forent, quamuis lethaliter decūberent. CRI. At is rationis semoto iudicio, quosuis enecat, etiam multum utiles. HOS. Omnes sibi oblatos Magarēses indicat. CRI. Sed mirum est, quòd indies necandum se offerant homines. HOS. Herculem præstat, hydram secantem. Nam uno elato, statim centum emergunt alij. LYD. Ridicula narras hospes. CRI. Crasso quem Agelastum dixère, ridenda. HOS. Imò Democrati flenda, qui tot impunè interficiat. Sed nemo bibit interim, & fau

Plebs facile cæcutit.

Optimus medicus qui Pausaniæ.

Socrates de ægrotis.

Crassus Agelastus dictus.

et fauces præ siti arēt: leuate unà, ut simul hos tres elambemus cyathos. CRI. Placet. LYD. Statim annuis Crito. Ego non bibam, nisi stipulata manu: de hoc medico plura dicturum promiserit hospes, ut cibos risu gratiores faciat. HOS. Promitto: bibe apertis buccis. Sed de hoc lupulo pisce, uentrem prius iratum nonnihil placabo: nam esurio. Tu item Lyde, qui delicatulus es, de hoc cancro, has chleas decortica, quæ carnis multū saporosæ censentur uappis: Crito triglas amat craticula tostas: istis uescere Crito, pòst pergam: mallem tamen tu Lyde quoq; de tuo adderes, nā facetus es, multarūq; rerum longa experientia scius. LYD. Nihil addam, à re cœpta noli in aliam diuertere. CR. Hospitis est conuiuas iocis & facetis exhilarare dictis: perge, ut uideas Lydum non apertis auribus saltem auscultare, sed paulò quoq; rictu, tua uerba deuorare. HOS. Diximus prius hunc de quo facta est mētio absq; delectu cūctos interficere: sed palinodiā canto: aliud enim memoriā subit. LYD. Quod nā? HOS. Quòd in uicino oppido sacrificulū quēpiam quē ecclesiastē quidā uocāt, aut uerbi ministrū, à crudelißimi morbi tyrannide, salutari admodum medicina, ne funditus periret, liberarit. LYD. Citra fortaßis usum pillularum suarū

Quidam ecclesiastes mirificè curatus:

HOS.

HOS. Sine his. LYD. At de Hippocratis calatho, uel Galeni scrinio quædam mutuatus est. HOS. Non. CRI. Quo ergo modo affectioni subuenit? HOS. Dicam: id attendite. Sic ex indurata aluo male habuit sacrificulus, ut excrementi planè nihil eiecerit. Nec item spiritus minutulum, tam diu, ut medici actum esse proclamarent, nullamq; spem amplius uitæ haberet. CRI. Quid tum? HOS. Decumbentem nō penitendus oppidi usitat archiater, docens si animā intestinis inclusam fortiter per inferius efflaret, quid superesse spei. Vnde animum hic recipiens, cōfestim pro meo doctore, quòd simile applaudat simili, nūcium mittit, remq; omnem narrat. Qui pro uirili sedulam nauat operam, omniq; conatu profligare morbum attentat, sed alea non pro uoto cadente, pusillanimis uxori ecclesiastis in aurem susurrat, ut ad deum adhortetur decumbētem. nam de pilo res sua pendeat: incertumq; sit, an posit ex hoc enatare naufragio. Obedit uxor, atq; cum Domino & Deum & sanctos, de quibus malè prædicauerat, integram noctem inclamant, petuntq; ut seruulo peccatori ea cōcedatur uenia, quòd ex tumefactis persentiscat intestinis, uel minutulum efflatum spiritus. Cùm item tum Hylam decumbens, cùm sua uocasset

uxore

uxore: neq; esset qui suppetias, ut uentulum ederet, promitteret, deijcit, animum cordicitus ad Deum clamans, ne sanctuariũ suum, suumq; plasma optima re priuet, hoc est cœlo, sed beatorum sedas particeps efficiat. Vbi meus ille medicus hæc audit, incogitanter ex angulo altius quàm uellet inclamat Fatue, quid precaris? deliras fortè, aut furis potius, qui Deum tibi donaturum credis cœlum, quem nec fœdißimi flatus liberalem censisti: cessa. LYD. Destitit autem decumbens, HOS. Destitit quia ad hæc medici dicta liberatus est. Dum ea urbanitate in cachinum motus effusiorem, crepitum fecerat stentore clamosiorem, flatumq; omnem ex intestinis distentis proscripserat. CRI. Ergo citra sumptum: risu saltẽ id fecit quod uel Podalirius aut Machaon cum maximo pecuniarũ fecisset dispendio. HOS. Rectè sentis. Ast non planè sine sumptu hunc restitutum, credito. Nam medicum meum decem talentis honestauit sacrificulus. CRI. Felix medicus, cui uentris inferior pars, tam precio sum ediderit flatum. LYD. Quem uel asse nõ emerim, aut uiciosa nuce. HOS. Interim cessatis, cõuiuæ: si uultis risu saginari, habeo, adhuc multa ridẽda, quæ leuiore adponã sumptu, quàm uel carnes, uel pisces. Edite nũc ut uiuamus

Nota medicamen.

uamus, & bibite ut amplius rideamus: elicit enim risum, frequens uini potatio. LYD. *Vtcunq; fecimus quæ mones: superest ut rationē subducas, ne aliò se conferat medicus iam domi sedens.* HOS. *Statuit quendam inuisere usurariū, tertia hora.* CRI. *Quæ nunc instat? symbolum indica, ut eamus.* HOS. *Non est quod iam persoluatis: suum cuiq; parieti inscribam, ut cras quando uberius pergræcabimur, satisfiat: ite nunc, dum præstò est quem* LYdus *querit.* LYD. Placet. Tu Crito, *cras pomeridiana hora huc redi, me tibi asseclam præstabo.* CRI. Placet. Valete *ambo.*

LIBRI TERTII FINIS.

SERMONVM CONVIVALIVM Georgij Pictorij Villingani Doctoris medici, Liber quartus.

ARGVMENTVM HVIVS LIBRI QVARTI.

QVomodo in quatuor partes diuidatur conuiuentia. De luxu Gaij. De ouis multa, et mõstrosis partubus. Cur quis claudicet. Cur quis sine brachijs nascatur. De quodã Hispano miraculoso. De lactuca pluscula. De ceruis. De cothurnicib. & perdicibus. Cur septentrionales non timidi. Putei cur hyeme caleant. De Anacharside & Pirrho. De Nouello Tricongio. De columbis. Quomodo accipiter à columbario arcendus. Ne auolent columbæ. De ciconia. Ad quæ ferrum conferat, quo homo necatus est. De quorundam immensa uoracitate; Quomodo æstate aqua infri-

gitāda. Quæ optima belluaria. De Casſita apologus. Quis dignior cubandi locus. Qua ratiōe quis reddatur abſthemius. Quæ Venerem compeſcant. De lege propinādi. Ebrietatis in cōmoda. De Tenedio Mimo. Cur Græcorum pecunia boue ſignata.

LIBER QVARTVS.

PERSONAE,
Crito, Fauſtus, Hoſpes.

CRITO,

Aulus Vitellius helluo.

AVlus Vitellius nobilis inter gulæ ſtudioſos helluo, in partes quatuor aliquādo partitus eſt cōuiuentiam Fauſte, ientaculum prādiū, cœnā, et cōmeſſationē. Tu, ſi uis ſuperpōdij loco & quintā adijciemus, Cōuiuiū pomeridianū.

Conuiuentiæ partes quatuor.

FAV. Placet: modò non Vitellianū ſit, quo ſatisfacere poſſim hoſpiti. CR. Fuit ſumptuoſus admodū Vitellius? FAV. Certè. Nam harū partiū uſus eſt nulla, quæ nō quadrigenis milibus nūmum empta foret. Hoc uerum eſſe, uel id argumento eſt, quòd in unica cœna duo ſelectiſsimorū piſciū millia, & ſeptem auiū conuiuis epulandum dederit, accedente miræ magnitu-

Vitellij luxus.

gnitudinis patina scaurorũ iocinoribus, fasianorum ac pauonum cerebellis, linguis phœnicopterum & murenarũ lactibus referta. CR. Charius ergo cœnatus est Gaio, qui aureos panes aureosq; cibos obtulit. FAVS. Nimirum. At si pro me symbolum dederis, sumptũ non timuerim, licet Heliogaboli adornes apparatum, qui sexcentorum struthionum cerebellis in unico prandio triumphauit. CR. Pro te lubens persoluam, ne timeas sumptum: saltẽ hospes suo nunc fungatur officio, & cibos offerat, HOSP. Non sum in mora. En oua habetis in partes dissecta, Aeginetæ τρομητὰ quòd dura sint nominata, selecta & optima quidem: nam sphærica sunt, planeq; rotunda. CRIT. Ideo cæteris meliora dicis, quòd orbicularis sint figuræ? HOSP. Procul dubio. Nam calorem habent satis uigorosum, quod palàm fit, dum incubationi subijciuntur: maret enim excludũt æstate undeuigesimo die, hyeme uigesimo quinto. Quum ob longa pari temporis spacio fœminas, si nõ oua uenti sunt, quæ Græcis hyponemia dicuntur: hæc enim nihil excludunt, quòd absque gallo, mutua tantùm gallinarũ inter se libidinis imaginatione concepta sint. FAVS. Et quis uillanus indicat mulieribus ouorum bonitatem? quum nulla

Gaius aureos panes dedit.

Heliogaboli luxus.

τρομητά.

Oua quæ optima.

Gallinæ quando pullos excludant.

Oua hyponemia.

penitus ouorum ſit differentia, ſed ouum ſem-
Oua probãda per ouo ſimile. HOS. Experimento id ha-
bent: nam prius quàm gallinus ſubijciant, in a-
quam mittunt, ubi ſterilia ſupernatant, fœcun-
dis in imum ſubſidentibus. CRIT. Præfœ-
cunda quoq; reperias. Nam ex unico ouo &
Oua monſtra pariunt. marem & fœminam, combinatis tamen corpo
ribus, excluſos nuper uidimus: ubi tamẽ facilis
comparet ratio. Quæ ſunt duo uitelli in unica
teſta, propter duorum ſpermatum aggregatio
nem, ſine alicuius parietis diſtinctione enati.
Nam ſi pariete uel corio diuidantur, duo pulli,
ſed corporibus inuicem ſeparatis, emergunt.
FAVS. Id quoq; uſuuenire in hominibus pa
làm eſt, quoniam anno incarnati uerbi ſeſqui-
Puer natus monſtroſus. milleſimo quadrageſimo ſecundo, quinto idus
Martias, natus eſt infans in noſtra regione bi-
ceps, uiuus, utraq; facie indiſcreta, unicaq́; ma-
nu inter utrunq; caput aſſurgente. CRIT.
Monſtrum fuit. FAVS. Certè propter ex
Cur mõſtra e-dantur. ceſſum quantitatis materiæ, qua ſemen eſt ena-
tum. Ait enim Empedocles Agrigentinus, ſi af-
fatim in matricis utrinq; effundatur cellulas,
gemellos fieri diſtinctis corporibus, & mon-
ſtrum binis capitibus, ubi ſemen medium occu-
Beſtia mirabi lis. pauerit matricis cohærens inferius, & ſuperio
ra uerſus utrinq; diffluens. HOSP. Beſtiam
quan-

quandoq; uidi ex equa progenitam capite humano, humanam uocem edentem: ad reliqua tamen equum. Huius mirabar, & tacito mecum Thaletis uerba mußitabam. Thales enim cùm in Periandri armento consimilem uidisset bestiam. Periandro dixit: Te moneo, ne posthac equisones habeas: aut si habere cogaris, uxoratos habe. FAVS. Intelligo quid uelis: sed in re aliud est: nam materiam qualitate peccare, naturales prædicant, si talia nascãtur monstra: cùm enim semen parũ à natura declinauerit humana, mixtas formas oriri fatentur, & monstra biformia. Quidam tamen, astris tales partus acceptos referunt, et Sagittarium biformem, causam prædicant. CRIT. Memini Galenum quoq; monstrorum fecisse mentionem Definitionum medicinarum libro, maximè tamen uarorum, qui distortis cruribus impeditè ambulant, et cæteris hominibus uelociores. Dicit enim tales haud aliter fieri, ob matricis situatam curuationẽ, quàm inæqualia simulachra fiunt, si plumbũ calefactum inæqualiter fundatur. Patet enim, matricẽ sæpe ad recipiendum semen incuruari: quod eiusdem nimiũ sit auida, ex propria quadã uirtute, à tota specie. FAV. Galeni uerbis citra controuersiam suffragor. Nam etiam uiri, dum in actu est, inordi

Thales ad Periandrum.

Astra mõstrorũ causas esse.

Vnde uari.

Inordinatus concubitus mõstra facit.

natus cõgreſſus, ut ſi in latere decumbat, rectũ embrionis impedit habitũ, quod matrix peruerſe ſemen in ſe recipiat, et ex uno latere claudos efficiat. CR. Quæ dum nimiũ eſt lubrica, maius quoq; cõcipiendo damnũ cauſat, etenim ſemen infuſum nõ totũ retinet, unde natura intẽdens, rectè operatur, ſed producẽs aberrat. Dũ enim ad omniũ membrorum formationem non ſatis habet de materia, format quæ poteſt, magis equidem neceſſaria, ut cor, hepar, cerebrum & teſtes, propter quod maſſa coagulatur, fortè ſine brachijs, aut ſine pedib. uel digitis, manuum uel pedũ mutila. HO. Sine brachijs enatũ uidi Hiſpanũ, certè mõſtra, quæ in natura rerũ eſſent omnia excedentẽ: pedibus enim citus ad modũ erat, ut cũ illis neret, ſeu acu expeditius pingeret, quàm uel citiſsima mulier ambabus manibus, et arma bellica tam affabre tractaret, ut nemo miles agilitatẽ ipſius aſſequeretur, arcuq; tam eſſet rectus, ut à ſcopo nunquã aberraret, et ſecuri quẽuis unico ictu infringeret, etiã craſsiuſculum truncũ. FAV. Quæ omnia fuerunt argumẽto, naturã ſibi cõſtare, & totã in hoc eſſe, ut quod optimum arbitratur, perficiat. Licet hunc, de quo modò dixiſti, priuarit officio brachiorum: tamen, ne quod eſſet optimum, omitteret, pedum in recõpenſam addidit agilitatem

Locelli lubrici monſtra faciũt

Hiſpanus quidam mirabilis

Natura ſibi cõſtat.

agilitatem, & animi uigorem. CR. Sunt qui astris horum defectuum causas affatim concedant: maximè Alchabitis, qui gradus quosdā esse dicit, in quibus, si luna fuerit, dum aliquis concipitur, partus uitij expers nunquam esse poßit: & sextum recenset in Tauro octauū, nonum & decimum: in Cancro, septimū et nonū: in Leone, decimum nonū, uigesimum secundū & uigesimum octauum: in Sagittario, septimum octauum, uigesimum & trigesimum: in Capricorno, tertium, sextum, uigesimum secūdum: & in Aquario, decimumoctauum & decimumnonum, fatali quadam stellarum ratione, omnia fieri concludens. Sed à regia declinauimus, redeamus in uiam, de cōuiuio narraturi Tu hospes, præter oua nihil adpones? HOS. Adponam: lactucam nunq; capitatam habeo, pro temporis qualitate nimis gratam. CR. Lactucam in proœmio conuiuio nolumus, hāc in finem differ. HOSP. Cur in finem? patrius mos est, hanc cōuiuio incipiente symposis apponere, ut sopitam resuscitet appetētiam, CRIT. Satis uoraces sumus: hanc in finem proroga, ut si quis nimium biberit, Pharmacū ad manus habet. HOS. Medetur ebrietati lactuca? CR. Multum: nam insita qua est frigiditate, meatus intercludit, uaporesq; ad ce

Qui gradus mōstra faciāt.

Cur lactuca ad principiū mēsæ.

Lactuca con. tra ebrietatē.

rebrũ aſcendentes, retũdat. FAV. Exin for-
Cur lactuca ad finem menſæ. taßis in uſu ueteres habuêre, ut lactucam ulti-
mo menſe apponerent. Certè non parum lucis
huic Martialis diſticho illa inferunt:

Claudere quæ cænas lactuca ſolebat auorum,
Dic mihi cur noſtras inchoat illa dapes?

Lactuca enucha. CRIT. Supereſt etiã aliud, lactucæ multum
utile: nam ſoporifera eſt: ſed Pythagorici enu-
cham dixère hanc herbam quòd iubar proſcin-
dat, Veneremq́ hebetiorem reddat. HOS.
Ingens heſterno die captus eſt ceruus, de quo, ſi
uultis, reſegmina quædam uobis dabo aliunde
Caro ceruina nocet. miſſa, tamen ſucculenta. FAV. Nõ: eſt enim
ceruina caro mihi ingrata, quòd iecur obſtru-
at et lienẽ, ac iugiter mãſa tremorem inducat,
Caro cerui medetur uenenis. quia ueneno participat. HOS. Quæ narras?
Tamen Lippius poeta hanc carnem bezoar ad-
uerſus uenena eſſe ſcribit: nam ſic ait,

Viuacem admittant tua ſi conuiuia ceruum,
Peſtiferam febrem non timuiſſe licet.

FAV. Rectè Lippius, ſi hyemalis ſit: quoniã
æſtiuo tempore diuerſa eſt, quòd uiperis & ſer-
Cerui quomodo captant ſerpentes. pentibus ueſcantur cerui.. HOS. Sed quo-
modo captant illa reptilia, quæ ſtatim uiſo cer-
uo fugiunt? CR. Narium ſpiritu ex cauernu-
lis, etiam retinentes, attrahunt. HOSP. Et
ipſi non inficiuntur ueneno? CRI. Non.

Quoniam

Quoniam post hunc esum, anhela distorquentur siti, quam, (natura docente) supprimũt, ut magis æstuent, & uenenum citius decoquant, accedente tamen iactura, quòd caro deterior sit, & homini uenenosa. HOS. Apponam igitur uel breuem coturnicum coronam, quæ delicatæ aues sunt, & boni saporis. FAVS. Sed non boni succi, propter ueratri semen, homini uenenum, quo saginantur: unde si quid perdicum habeas, profer, quæ in regum habentur delicijs, quod Martialis sic ostendit: Coturnices cur non boni succi.

Ponitur Ausonijs auis hæc rarißima mensis,
Hanc in lautarum mandere sæpe doles.

CRI. Esset hæc caro susq; deq; ferenda, aut optima potius, si libidinem non sic exagitaret. Caro perdicis libidinem pro ritat.
HOSP. Et ipsa perdix quoq; libinosa est? CRI. Maximè. Nam sua infringit oua, ne cubando detineatur, & uberius libidini interesse queat. Archelaus, ob libidinem effrenem perdices fœminas, audita maris uoce, concipere fatetur. Et Solinus, quod maius est, à uento, qui à perdicibus masculis flauerit, perdices fœminas impregnari, dicit. Quæ tamẽ minimè curo. Hospes, perdicẽ appone. Herculem præstabo dilacerando beluam. HOS. En duas habetis succulentas, & lautè paratas. FAV. Tu Crito, utranque deuora. Ego abstinebo, quod ti- Perdices à uẽto concipiunt.

meam. HOS. Aequè times, ac enormis elephas grunnitum suis, & uastuosus leo galli cantum, aut cristatam faciem. Qui fit quòd in nostra regiõe uirnicula, quos nanos ferè dixeris, molles admodum sunt et umbram timent? quũ animi generositatem colere potius deberent, quàm proceritate donati & corpulenti, quod cor exhile habeant, & spiritus cõpactioras uel magis unitos? CR. A cœli solisq; contingit tẽperie, quæ calida est & meridionalis, sed uirunculis & uiris æqua. Nam hic sunt omnes pariter meticulosi & mulierum instar molles aperit enim sic regionalis calor nostra corpora, ut interior calor, uirilitatis motor, foris exspirare facilius poßit. Vbi ecõtrario in frigido cœlo uiuentes, suapte natura intrinsecus concalescunt, intusq; spiritus colligunt compactiores, qui audaciores faciunt & robustiores, Galeno doctore, libro secundo Complexionum. Auicenna, septentrionales melius concoquere putat, & propterea minus comitiali laborare morbo, quòd calorem intrinsecum habeant largum, & spiritus uegetiores. Quæ omnia uera esse, uel id argumento est, quòd frigus & calorem simul stare non posse nouimus, quum semper frigidum calido, & calidum frigido cedat. Sicut hyberno tempore notamus, quum super terram

Cur uirunculi timeant.

Cur septẽtrionales uiri minus timidi.

Frigidum cũ calido nequit stare.

terram frigus est, calor frigori cedens, in interiora terræ se uiscera confert: unde putei per hyemem calescunt, & hypogea, hoc est domicilia subterranea. Sed tempore æstiuo frigus calori forinsecus dominanti cedens, fugit in abdita, quæ refrigerat: unde aqua puteana his diebus quoque frigidior est, quàm hyeme esse possit. Sed tum tuis quæsitis hospes respõdeo, perdices negligo, quibus summa appetentia delector: tuq; interim uinum non apponis. HOS. Quale uultis? CR. Vermiculare, quòd curarum discutiat nubila. FAV. Sed inebriari timeo, si forte sit. CR. Adhuc times? Anacharsidem tibi archetypum finge, & ebrius nõ euades. FAV. Quis Anacharsis ille fuit? CR. Ex Scythia philosophus Soloni familiaris. Is enim rogatus, qua ratione quis effrigeret ebrietatem: respõdit, Si semper præ oculis habeat ebriorum indecoros mores, qui plerunq; rixas suscitant, iras, cædes, morbos & conuitia frequenter: sicut ex militis cuiusdam Tarẽtini ad Pyrrhum regem patet respõso. Quum enim milites ex Tarento inter cœnandum multa liberius dixerãt in Pyrrhum regem, res ad eum delata est. Acciti sunt omnes, qui periclitabantur singuli, quũ factum nec erogari posset, nec defendi. Tum unus illorum dexterioris ingenij

Putei per hyemem calidi.

Anacharsis dictum contra ebrios.

Respõsum militis Tarentini ad Pyrrhũ.

Imò

Imò (inquit) rex: & ista diximus, et longè acerbiora dicturi fueramus, si nō lagena defecisset. Significans temulantiam, linguæ exagitasse petulantiã. Ac mox ira Principis in risum uersa, dimißi sunt. HOSP. En Fauste, hîc uinum habes leue & Surrentinum, de quo bibere potes citra temulentiam quantum uis, etiam si more bibas Nouelli Tricongij, quondam proconsulis. FAV. Et quem morem habuit bibendo proconsules. HOS. Vt Tiberio principi spectaculum præberet tribus cōgijs unico impetu epotis. FAV. Absit. Malim bibere Romuli more, qui unico ictu quantum satis erat, bibit. Tamen placet hoc uinum, si quid delicati cibi manducandum iunxeris. HOSP. Quid uis? FAV. Columbarum pullos ueru paratos, capitibus tamen prius detruncatis, ne quid cruoris contineant. Nam cruore retento chronicos morbos efficiunt, potißimum capitis. HOSP. At nullos habeo, quod columbarium abhorreant, ob prædonem accipitrem, qui aliquoties matres rapuit. FAV. Si uis quomodo accipitrem propellas solerter te docebo. HOSP. Maximè oro. Nam subinde pullos sympotæ postulant. FAV. Pullos tinnunculi in quatuor ollis gypso perlutato, & quatuor angulis columbarij suspendito: sic locum

Temulētia petulantiam linguæ facit.

Nouellus Tricongius potator magnus.

Columbis capita detruncãda.

Quomodo accipitrem à columbario arceas.

cum immunē ab accipitre facies. Nam ui naturali hoc fieri arbitrantur, quùm tinunculum adeò reformidet accipiter, ut uiuus ipse mortuum fugiat. Est autem tinunculus, auis ex accipitrum genere, in ædificijs nidos faciens.

Tinūculus auis, uuannenueber.

HOS. Quidam columbis loci nouerūt conciliare amorem, sic, ut nullæ auolent, sed alterius columbarij incolas potius secum trahant.

Ne auolāt columbæ, & secum trabant.

FAV. Verum est. Nam aureo annulo per ignem calefacto, columbarum alas inurūt, quæ in posterum (Serapione Simplicium libro scribente in capite Deheeb) nō auolant. HOSP. Complures id cibo assequuntur, quem columbis apparant. FAV. Dum radicem chamæleōtis incisam, quam Cardopatium barbari nominant, ciceribus concoquant, & columbis exponunt. Sed dentes pruriunt, appone quod edamus. Si columbarum desunt pulli, da anserem amphibium, quē proculdubio in chenoboscio saginatum reseruas: aut pullum ciconiæ, ex nido in tuarum ædium uertice, qui coctus & comestus oculis lippientibus confert, quales nunc diu habui.

Eberstuurtz. Anser amphibius.

Ciconia oculis lippientibus salubris.

HOSP. Anserem habeo sed prægnantem. FAV Prægnantem? Quomodo? HOSP. Quia in uentre habet. FAVS. Quid? HOS. Anguillam ualde magnam. FAV. Es fortaßis in schola enutritus Catiana, qui

na, qui hunc noueris popinarium luxum, et Sybariticas delicias. HOSP. Arbitraris tam exquisitum edulium? FAV. Rectè Iouis cerebrum dixeris: appone. HOSP. Iam non times: tene patinam, Crito. Deus faxit, ut quàm delicatus est cibus, tam sit etiam salutaris anser ille uentrosus. CRI. Quoque delector hoc cibo: da cultellum maiusculum, ut illæsa anguilla deartuare hanc beluam possim. HOSP. En, maiorem non habeo: nisi hanc macheram uelis, qua nuper quidam aduentitius per temulentiam necatus uitam dedit. CR. Est uerum? Hoc ferrum auro profecto dignius est. HOSP. Qui dum? CR. Quod ad multa sit utilis. HOSP. Quia ferrum est? CR. Non: sed quia hoc ferro, iugulatus est homo. Nam si inde lupata pro equis fiant, seu calcaria facilè quemuis domueris equum, uel etiam ferocissimum. Siq; ex eo ferrentur equi pedes, dictu mirabile, quàm citus sit futurus, quoniã cursu redditur insuperabilis. FAV. Illa fortassis omnia Claudio imperatori fuerunt nota, dum ex ferro, quo duo gladiatores mutuis ictibus conciderãt, sibi cultellos in diurnum usum fieri iussit: CR Proculdubio: nam in magicare, tale ferrum super omnem irim est. Consimile narrauit de gladio publico decollandis capitibus

Gladius quo homo inter sectus preciosus

Ferrũ quo homo iugulatus id magicã artem.

pitibus parato. Nam si immergitur uino, tale aduersus quartanam remediū illi qui biberit, aiunt. Pater Lycurgi, legum latoris Lacedæmoniorum, cultro popinario (ut scribit Plutarchus) interēptus est: propter quod hunc sacrificijs gladium, ceu sacram rem, & diuinationibus utilem, crediderunt. HOSP. Sed quisq; interim sibi propensius studet, tu dilacerando perdices, hic uerò stridulum anserem, & uterque anguillā. Vereor profectò, ne Milonis Crotoniatæ instar, singula deuoretis. Certè, ut reliqui aliquid fiat, apponam bellaria. FA. Fuit pamphagus ille Milo? HO. Vnico prandio carniū deglutiuit (Theodoro scribēte) minas uiginti, & panis totidē, uiniq; choas tres. CR. Theagnem athletam Posidippus integrum bouem solùm deuorasse docet. Sed nos parciores sumus, etiamsi uterq; suum absoluerit pensum Tu perdices deuoraueris duas, & ego integrū anserem, reliquiq; nihil fecerimus de anguilla magna. Nō tamē quæ gangis uincat anguillas, quorum una, tricenos pedes lōgitudine ualuit: uxor certè tua, sic omnia parat cura & sumptu, ut non saturari queam: possem adhuc triglam mordicus deglutire, qualem Mutianus in mari indico captā narrat, octuaginta librarū: & lupum Tiberinum, quam uis lanceam mensura

Lycurgi pater cultro interfectus.

Milo pamphagus.

Theagnes athleta uorax.

Gangis anguilla tricenorum pedum.

Trigla, octuaginta librarū.

sura

ſura excedentem. HO. Cambleta ergo Lydorum rege magis es uorax, qui (ut Xanthus ſcribit) uorandi ſtudio eò euectus eſt, ut nocte quadam ſuam deuorarit uxorem: cuius manum, cùm ore reperiſſet mane, ductus pœnitentia, ſe ipſum iugulauit. Ego apponam bellaria. CRI. Quæ appones? HO. Nuces ponticas, mala Appiana, & arancia. FAV. Arancia primã decuiſſent menſam cum carnibus toſtis, ut oliuæ. HO. Cuiq; liberũ erit pro uoto quicquid uoluerit, eligere. Ego apponã: apponam item perſica Duracina, Ceraſa Luculli fructum, pira ſuperba, quæ Muſcatella uocant, nigrancia mora, cum terreſtribus fragis: & ſi uultis, caſeũ lactis filiũ. CR. Volumus omnia. HOS. En præſtò ſunt omnia. CR. Sed caſeũ apponis lacti ſatis propinquũ. HO. Quid ni? CR. Incorruptus eſt planè. HO. Trimeſtris eſt, ſed arte fit, ne putreſcat. CR. Quo modo? HO. Si coagulo, modicum de muſtelæ addatur cerebro: quem ſic paratum, mures quoq; non arrodunt. FAV. Alia ſuperſunt gemmatum genera, tuis certè præſtantiora. HO. Quæ ſunt illa? FAV. Si prius hauſtũ uilli oppoſueris frigidum, dicam. Nam multum calet tuum uinum. HO. Cella ſolo æqua eſt uinaria, & calet: neq; puteale habeamus aquã

Cambleta ſuã deuorauit uxorem.

Ceraſa luculli fructum.

Ne caſeus putreſcat.

cui ui

cui uinum imponatur. FA. Quid si fistularē aquā & calidam infrigidare te docuero? HO. Hoc esset hospite dignum: rogo doceas, non in grato feceris. FAVS. In situlam aquæ fistularis libras duas immergito salis nitri, & statim aqua friget. HO. Est uerum? FAV. Maximè. HO. Narra mi Fauste, quæ pemmata à meis, ut modò dixisti, sunt aliena? FAV. Audi. Homerus omnium bellariorum diuinissimum, salem dicit: Euenus, ignem: Eutrapeles, aquā. Sed Philostratus, bonos amicos: alludens fortassis ad hoc Plutarchi scitum ex commentario. Quomodo dignoscendus assentator ab amico, dictum sic habet: Amicus magis necessarius, quàm ignis & aqua. HO. Philostrato subscribendum quis dubitet? quum nemo tam diues aut potens esse possit, quin opus habeat amicorum officijs. Socrati compertum hoc fuit, qui possessionem nullam preciosiorem esse, amico ratus est. FAV. Rectè quidē. Sed quousq; fidere amicis tutum sit, Phrigij fabulatoris elegans commonstrat apologus de Cassita, quem noctium Atticarum recitat Aulus Gellius secundo libro, ca. 29. HOSP. Rogo de Cassita quicquid est, non pigeat enumerare. FAVST. Minimè: ausculta. Cassita in segetem flauescentibus frumentis, nidum fecerat.

Quomodo aqua infrigitanda.

Quæ optima bellaria.

Amicorū quāta necessitas.

De cassita apologus.

Quæ cum iret cibum pullis quæsitum, eos monet, ut si quid nouarũ rerum audirent, in reditu sibi referãt: Vbi dominus interim aduentat segetis, filio dicens, frumẽta sunt matura, et manus postulant: in crastinũ amicis nuncia, ut cũ diluculabit, mutuam præstent operam, & messem hanc nobis adiuuent. Hæc ubi dixit, discessit, atq; caßita rediit: pulli trepituli circumstrepunt, orantes matrem, ut statim properet, atq; in alium locum sese asportet: nam dominus (inquiunt) misit, qui amicos oret, ut cras luce oriente, ueniant & metent. Mater iubet eos à metu ociosos esse. Si enim, inquit, dominus ad amicos reiicit, crastino seges non metetur. Die igitur postero. mater in pabulum uolat: dominus, quos rogarat, operitur: sol feruet, sed nihil agitur. Tunc ille rursum ad filium: Audisti (inquit) magnam in partẽ cessaturos sunt amici: quin cognatos & affines oramus, ut adsint diluculo ad metendũ. Itidem hoc pulli pauefacti nunciant matri. Mater hortatur, ut tum quoq; sine metu & sine cura sint, cognatos fermè, affinesq; nullos esse obsequibiles, ut ad laborem capessendum nihil cunctentur. Alia luce orta, in pastum auis profecta est: affines & cognati operam quam dari rogati, negligunt. Postremò igitur dominus filio inquit: Valeant amici

cum pro-

cum propinquis: cras afferes prima luce duas falces, unã egomet mihi, et tu, tibi capies alterã & frumentum nosmetipsi manibus nostris metemus. Id ubi ex pullis dixisse dominum, mater audiuit: Tempus (inquit) est abeundi: fiet nunc dubio procul, quòd futurum dixit, in ipso enim iam uertitur cuium est negocium, non in alio à quo petitur. Atq; ita uolucris nidum migrauit, & seges à domino dimessa est. Ex hoc igitur apologo, non cuiuis fidendum facilè colligis amico, potißimùm non in messem laborandum uocato, hoc est, inexplorato. Excandescit Aristippus in hominum uanitatem, dum in auctionibus antequàm emant uasa, ex tinnitu dijudicant: & nullo utantur examine, quum amicos eligunt. Arbitrantur enim hos, qui uerborum lenocinio animos demulcẽt, et pruriginosas aures scalpunt, ueros amicos esse: nõ considerantes Syrenum uoces effingi, & in uagina eburnea intoxicatũ quandoq; latere gladium. Tutũ est diligenter inspicere, dum melle lingua fluit, ne uirus spiret, aut uenenum, quod nusquã melius poteris, quàm si proprium ingruat commodum. Nec enim mẽtem celat, qui fucatus est amicus, sed dolum prodit, sui cõmodi studio. Vnde uerisimile inquit Chilon: Sicut Lidio con probatur lapide aurum, sic amici synceritas, au

Aristiopus cur excandescat.

Diligenter cõsiderat qui sint amici.

Chilonis dictũ

ro, Namertes per fortunam id explorandum docuit. Interrogauit enim quendam de multitudine amicorum gloriantẽ, ex qua re colligeret omnes ueros esse amicos, quos ueros arbitrabatur. qui respõdit, se nõ habere scopum, ut certò sciat: sed ex eo uelle edoceri. Vbi Namertes inquit, Ex fortuna: quæ dum aduersa est, fucatos arcet, ueros attrahit. At hoc Nasonis scitum:

Per fortunam explorandi amici.

Donec eris felix, multos numerabis amicos:
Tempora si fuerint nubila, solus eris,

Triumphus est, statim fucatorum experiri stratagemata, dum affabre admodum subitmẽt os, salutant: aut si salutaueris, resalutant, inuitant: si auxilio tuo opus habeant, palàm laudant, clàm ludunt, semperq; aliud in recessu habent, quã fronte promittant. Non est profectò res, quæ frequentius & magis subdola, probis imponat, quàm malorum amicorum procax lingua, acutißimo gladio magis acuta, et ex uagina intoxicata exerta: persæpe in annos, antequàm dignoscantur, bonos eludunt: id quod etiamnũ in me expertus scio. Gloriabar enim, quòd complures haberem non postremæ sortis fautores: sed fortuna aduerso reboante flatu, animum in pedes elusus conieci: ignem quæritans, ubi lympham prædicabant. HO. Sic profectò se res habet. Sunt qui me quoque fune tra-

Triũphus est nouisse experiri amicos.

Autor queque fusus à fucatis amicis,

ne traxerint. Sed quemadmodum non est in dolore præsentius remedium, quàm curas æstusq; animi in amicorum sinum effundere, ut Chilon philosophus dixit: sic pestilentius nō est malū, quàm huic fidere, quem amicum credis, & larua detracta, inimicus est. HO. At nunc ad rauim usque sitio, non est qui mihi præbibat? CRIT. Non bibis sine propinatore? HO. Bibo. Sed prius uobis aßidere uolo. CRIT. Sede huc. HO. Meum non est tuam claudere dextram, ubi dignior est cubandi locus. CR. Non: Ait enim Xenophon? Cyrum solitum fuisse conuiuas honoris gratia à latere sinistro iuxta se ponere: utpote fideliores charioresq; illos declarans, qui in parte cordis laua discumberent. HO. Persuades, ne resurgam: nam parum refert ubi sedeat hospes, qui ædium est dominus. CRIT. Aßidētem igitur, hac Nestoris saluto amphora. HOSP. Vt me salutas, sic faustū resaluto. Nam statui hoc die Lesbiari, ut cras abstemius sim. CRIT. Hoc alia uia poteris facilius. HOSP. Quomodo? CRI. Si noctuæ oua per triduum cum modico uini sorbeas. FA. At Venerem prouritant hæc oua. CR. Quàm statim refrenat, si quis in sua urina lacertam uiuam enecet: aut si urinam suam, lotio canis immiscecat. FAV.

Chilonis dictū

Quis dignior cubandi locus.

Quomodo abstemius fiat.

Ad Venerem excitandam et sedandam.

Vtrunq; malum est, fieri abstemium, & fucum sine aculeo. CRIT. Venus subitò reuocabitur, si gallinacei, in pella arietina sibi alligari curaueris dextrum didymum. HOSP. Sed præceps est harum rerum alea: ego nolim tẽtare. Nam sic facilè, quod in longum nequeat reparari, amittitur. FAVS. Tecum sentio: quicquid enim libidinosi habeo aculei, conseruatum studeo, fugioq; arte quadam fieri Bacchici liquoris osor: indies potius laboro, ut sitiam, & uini ad manus sit uehiculum. HOS. Si quis bibat decoctum radicis articocæ uel scolymos, egregiè sitit, & potatoribus pulcherrimum est inuentum FAVS. Neque id curo. Nam sitim naturalem amo, quæ assumptum cibum insequitur, qualem nunc sentio ansere & anguilla satur. Tibi igitur Crito, quale quale est hoc poculum propino. CRI. Perdices sitibundum me fecerũt: præbibe igitur, nam lubens sequar, modò non crebrius mihi propines, statim enim potu defatigar. FAV. Non. Siquidem propinandi legem minimè defraudemus. CRIT. Quæ hæc lex est? FAVS. Ne modus in furorem cedat, sed potantes beneuolentiæ studeant. CRIT. Dic unde habet initium propinandi consuetudo? quæ passim inualuit. FAVS. A Græcis. Nam Græciæ prim-

Vt quis ad potum appetentior fiat.

Vsus propinãdi unde.

ciæ principes ſolenni die quem philotheſiã appellabant, miſcere aureis & argenteis poculis uina ſolebant, quæ primo ipſi prælibantes hinc aſtantibus, ut alter alteri præbiberet, porrigebant: ingens ſic argumentum beneuolentiæ fieri exiſtimantes. CRIT. Eſt profectò beneuolentiæ præpotens ſymbolum, ſed in nephandiſſimum commigrauit abuſum. Quia cõuiuij lege parum conſiderata, uel ad Plutonis cancellos bibunt & alter alteri bibendo, uitam rem omnium chariſſimam, ſuffuratur. FAV. Tam nociuam arbitraris ebrietatem? CRI. Sic. Quis enim alius affectus eſt, qui tot, tantaq́; ſibi annexa habet ſymptomata, ut ebrietas? Caput fœdis exhalationibus diſſecat, cerebrum uertigine attentat, oculos lippire facit, aures undoſo ſpiritu replet, linguã bleſam reddit, oris halitum inficit, ſtomachum debilitat, putridam ſaburrã egerit, cor tremulum creat, manus inepta geſticulatione territat, pedibus incertum lubricumq́; diſponit greſſum, turpes uentris cauſat ronchos & ructus, furiales ſomnos, ac mentis habilitat exceſſus, & (quod turpiſſimũ eſt) alui ueſicæq́; relaxat uincula. Taceam nonnunquam ſubitaneam inde (quod luctuoſiſſimum eſt) oriri mortem, aut paralyſim, ſpaſmum, lepram, & maniam ſæpius. Tamen

Ebrietatis incommoda.

Fauste, nunc uesperuginem secum incũbere uides, ne Zophorodorpides nostrum conuiuium inmultam protrahentes, dicamur, noctem. Cũ hospite paciscentem de symbolo uidetur. FA. Rectè iudicas: nam uterq; sibi symposiando sedulus consuluit. Fac igitur hospes, ut quanti singula constiterint, sciamus. Nam quicquid dandum erit, gratißimo persoluemus animo. HO. Exponendum pecunias, estis multum faciles. FAVS. Meritò: quum affluenter admodum cibos adiposiores nobis adposueris. HOSP. Symbolum si placet, in proximum differemus conuiuium. CRIS. Placet. Sed hunc Tenedium impignorabo numum, ne defraudêris. HO. Tenedium? ostende. CR. Ex uno latere securis est, ex altero facies duæ, de una prodeuntes ceruice. HO. Quid hæc sibi uult signatura? CRIT. Quòd Tenedius rex lege sanxerit, ut mœchis utrisq;, si deprehendantur, caput securi præcidatur. Si ueterum pertranseas pomeria, maximè Græcorum, antiquißimum hunc numum comperies: quos alios habuère, bouem plerunq;: idcirco fuerant signati quòd ab initio permutationes quadrupedibus fierent. Aut, quòd Theseus Atheniensium rex, taurum omnem Atticam deuastantem superasset. Vel, quòd ciues suos hac uia, percuperet

Tenedius numus quis.

Cur Græcorũ pecunia boue signata,

insignes

insignes fieri agricolas, cum uiderent bobus ornari pecunias. HOSP. Hunc apud me detinebo numum: non quòd ambobus parùm habeam fidei, sed quòd antiquitati studeam. Hunc igitur Crito, ad sequens reddam conuiuium, Valeto ambo. CRI. Vterq; bene ualeat.

LIBRI QVARTI FINIS.

SERMONVM CONVIVALIVM Georgij Pictorij Villingani Doctoris medici, Liber quintus.

ARGVMENTVM HVIVS LIBRI QVINTI.

QVam legem in conuictu Lycurgus Lacedæmonijs dederit. Cn. Manlij inuentum. Heliogaboli ac Galieni luxus. Varij gentiũ ritus cõuiuando. Quis dignior occubandi locus. Agathocles quo patre. Ebulus poeta. Cyprius quot pocula euacuãda stauerit. Aues Britãnicę ex fungis. In Põto aues crescere in arborib. De ære Cyprico mira. Quòd fermes serici lanificium tractẽt. Quot mensibus imprægnata uterum gerere posit. Hippocratis asserta de undecimo mense. Adrianus de partu qui fit undecimo mense. De sternutatione multa. Cœli dispositione ordinante, oriri animalia miraculosè. De miraculosis fœtibus. De potestate aqua-

quarum. Cur piscibus & ranis quando que pluisse dicatur. Qui fiat ut aliquando saxa de cœlo cadant. De uariorũ populorum exequijs. Cur feles sua excrementa defodiant. Apparatus apotheseos qualis. Quos deificarint Romani. Qui dij indigetes. Quot milia deorum fuerint. Cur aues absque uesica & renibus. De sapore dulci, amaro, salso & acuto. De carne suilla pluscula. Quomodo uinum nutrimentum dicatur. Vinum sodalitatis metropolis. In occidentali Oceano ingens fluuius uino madens. Bacchi & Herculis uestigia qualia. De piscibus ebrietatem causantibus. De uitibus monstrosis in Oceano. Cur ebrij semen emittãt non prolificum. Zephorodorpides qui. Aestiualis potus quid. Hyemalis refectio quæ. Quòd omnis caseus sit mali succi. Zoroastem in deserto uiginti annis saltem caseo uixisse. Cur famelici sitiant. Ex elementis unũ quod iuge alimentum sibi deposcat. Cur cibus parum deterior, quandoq; melior.

Liber

PERSONAE.
Crito, Lydus, Hospes.

OENOPHILVS.

DII boni, boni, quàm fausto sydere huc uenio, Statuerã iter sinistrorsum, ex proximo uisurum nemus. Sed Vertumnis quotquot cœlum habet, nimirum optimis, mutaui mentem, dextram arripiens: ubi hos in umbra recumbantes inuenio: quibus me consortem bifariam cupio, aut quia famelicus sum & sitiens, aut quia uinũ habent et epulas, Saluete optimi helluones: felix et faustum sit uestrum conuiuium. CR. Felix & faustus sit tuus aduẽtus: Nos duo pergræcamur hîc, si uis, te nobis tertium iũgas, ut recto numero constat apparatus. OEN. Volo, mi Crito. Nam multò antè, cum parasito comico animũ in patinis & mensa habui. HOS. At mensa caremus: hîc sub arbore, gramineo acquiescentes thoro. OEN. Lacedæmoniorum ritu: quib. edicto statuit Lycurgus, ut hyeme ad focum, æstate in aprico discumberent. Nimirũ ne splẽdi dius alter cœnitaret: altero, etiam sine mensa.

mensa. CR. Sine mensa? Tamen quadratas & orbiculatas, ex acere seu fraxino mēsas, testudinum putaminibus, ebore, uel auro uestitas habuisse legimus Græcos. OEN. Quum à rustico frugaliq; cultu desitū esset. Tunc enim sic luxus increuit, ut quasi contagium Romanos quoque infecerit. Cneum enim Manlium Asia deuicta excogitasse abacos, triclinia, & monopodia elephantinis pedibus maximo sumptu nouimus: quæ Heliogabalus nūquam lotis strauerit linteaminibus, sed nouis tantùm & recentibus. Galienus imperator aureis. HOS. Essent susq; deq; ferendi sumptus in harum rerum luxu, si non ciborum nimius quoq; indies succresceret abusus. Diuus Cæsar, trinis ferculis, conuiuium Romanum adornari statuit: aut si abundantißimum quis uellet, senis. Cui reges Aegyptij subscribebant, anserem et uitulum simul apposuisse satis esse ducētes. Græci, melle & ouis contenti erant. Iberi, glandibus. Plato, cicere, fabis & myrti baccis. Sed lapsa ætate, Aulus Vitellius omnes frugi homines ex suorū albo repudiauit, omnes macelli statuens offerēdas cupedias Caium (refert Suetonius) comessando omnium ferculorum superasse ingenia, perditißimasq; sumptus culinarum instituisse. Nihil hoc seculo uel parsimoniæ, uel frugalitatis su-

Cn. Manlius abacos inuenit

Heliogabali et Galieni luxus

Aegyptijs satis erat anser & uitulus.

Caius in luxu cibario perditus.

tis superest. Regium fuit triumphalibus cœnis quatuor apposuisse uini genera, Falernũ, Lesbium, Chium & Mamertinum, bibendo senos non excedentes sextantes. Sed omnibus utimur nunc differentijs, quas uel tota Græcia, uel omnis cœli plaga nutrit, omni prorsus (beluarum instar) neglecta mensura. Arabes meracius bibere statuentes, nulli supra duodena pocula cõcedebant euacuanda. Iam selectißimum nobilitatis habetur stratagema, unico ictu trullas etiã capacißimas, aut fœdas matulas, porcorũ more, centies delibasse. Sed confabulando, diem insumimus. Tuum erit, si uis, ad nos discumbere: hîc digniorem tibi aßignamus locum. OEN. Quem digniorem arbitraris? HOSP. Ad læuam: ubi cor, uitæ residet principiũ. OEN. Romanis honoratior erat in mensa summus, quem saltẽ uel ætate uenerabilibus, uel qui prudentia et authoritate alijs præessent: ut sublata mensa, primi quando uellent, assurgerent, offerebant. In ĩmo symposiarches sedebat. Sed poculum præbe Crito, ut bibam: nam sitio. CR. Fictilem hîc urnam habes, uel Samiũ culullũ: leue poculum, sed graue uinum. OEN. Vasis nulla mihi cura est, si uinũ placet. Agathocles Siculus imperator, inter aurea, figulina quoq; habuit pocula. CR. Certè nõ immemor paternæ obscu-

In triumphali cœna, quatuor uini genera.

Arabum ritus bibendo.

Quis dignior in mensa locus

Agathocles. figulo patre.

obſcuritatis, quia figulo patre genitus erat. OEN. Placet hoc uinum: nam Græcum eſt. Si tale in uſu habuiſſet poeta Ennius, facilè eſſet podagra ipſum expiraſſe. Eſt enim forte, ac in plures corporis partes, propter ſubtilitatē, diſſeminatiuū: maximè in his, quibus membra rara ſunt, & affatim bibunt. CR. Ergo uinum, quod nos optimū arbitramur, tu morborum cauſam ducis. OEN. Duco, ſi nimium ſit. Tametſi non abſtineā. Si imperaueris, Crito, totum euacuabo culullum, ut ſitim, infringam. CR. Me imperatore, non euacuabis: ſiquidem ex eorum non ſum catalogo, qui aßidendes bibendum neceßitent: ſed in hoc te admoneo, ut Romuli more bibas, hoc eſt, quod ſatis ſit. Nos duo in Ebuli Cyprij iurauimus uerba, qui tria inter amicos euacuanda ſtatuit pocula, primum ſanitati, ſecundum amori, tertiū ſomno. OEN. Ego & quartum adderem. CRI. Hunc iniurijs adſcripſit. OEN. Valeat ergo ieiunus ille poeta. Ego in Promachi bibacißimi hominis, quem propter uictoriam in uini certamine, Alexander talenti corona donauit, cōdeſcendo ſententiam: qui uoluit unico ictu uel integrum quadrantal euacuandum. Hoſpes, ſi quas habes lautitias culinarias, appone: nam famelicus adeò ſum, ut dentes pruriant: fa

Ennius podagra perijt.

Ebulus tria pocula ſtatuit.

Promarchus bibacißimus.

cilius saturaueris Herculem, quem Athenæus integrum bouem unico deuorasse conuiuio testatur. HOSP. Bona uerba. OEN. Si factum respondeat minis, te magis ducemus Aesopicum leonem, quàm nostrum conuiuam. OEN. Quomodo? HOSP. Siquidem omne uinum tibi quodam iure deberi cupis, quia siticulosior: & omnes culinarias cupedias, quia magis famelicus. Quid igitur nobis reliqui siet? OEN. Inter bonos amicos iocari nõ uerecũdor hospes. Deprome si quid habes, confidenter. Nõ sum inciuilis admodum, ut omnia solus deuorem. HOSP. Assaturam habeo magis admiratione dignam, quàm lautam. OEN. Quidum? HOSP. Quia monstrosa est, & cibus exoticus. OEN. Vnde autem? HO. Ex Britannia. OEN. At quid est? HOS. Auis, citra omnem incubationem, minimeq; ex ouo, sed penitus sine parentibus enata: quantũ tamen uidetur, supra modum delicata. Est nanque saporis anetini, & multum succulenta. OEN. Rectè igitur monstrum dixeris, sed multis fabulosum uidebitur. HOSP. Nimirum. Ast huius rei grauem adeò testem habeo, ut quisque citra fraudem mihi credere poßit, qui est Iunius Dentatus, uir apprimè nobilis et multum eruditus, à quo amicitiæ tesseram, hãc

Britãnica auis

Iunius Dentatus.

auem

auem quoq; excepi. OEN. Quomodo autẽ progenitam dixit? HOSP. In penitißimis partibus Britanniæ, quãdoq; ad littora maris narrat, malos nonunquam & carinas uetusta te tabescẽtes, expositos: qui diutina aqua made facti, ad littora fungos, tepido accedẽte Phœbi calore, breui pediculo acquirant, qui paulatim adolescendo moueri incipiant, et à trunco aucel li, et denuo in corpora cõdensari, ut plumescãt, & aues fiant littorales, piscium esu uiuentes. OEN. Fortaßis magna incolarũ et nautarum stupore. HOSP. Non. Ait enim, in tantum excreuisse numerũ, ut mirari planè desierint. CRIT. Viderentur satis mirifica, si non ubiq; solertem rerum magistram, naturam quippe, ampliora uideremus operari. Etenim si ad lancem duxeris, quæ Aristoteles scribit, & Albertus, de auibus ex arboribus nascentibus, æque incredibilia notabis. Scribunt enim, in Ponto ad Hypanim fluuium tenues membranas, acinorum instar, arboribus innasci, ex quibus mox auium quadrupedum erumpat copia. has Hemorobios Græci nominant. OEN. Si quæ Aristoteles & Albertus scribũt, uelis adducere mirãda, aliquot numerabis myriades. Quid enim aliud quàm miraculum est, quod Aristoteles historicũ narrat de ære Cyprio. Dicit enim,

Ex fungis aues nascuntur in Britannia.

In ponto aues ex arboribus.

Hemorobij.

Aes Cyprum pro miraculo.

in Cypro genus quoddam gigni æris, auro nõn absimile, quod in frusta minutißima cõcisum agricolæ serant, & pluuia subsequente exoria tur & coalescat, & quando adoleuerit ad iustam maturitatem, tunc colligant et recondant agricolæ. Istis fidem habeat qui uelit, mihi non ex tripode loquuta uidẽtur. CR. Ast quæ indi s apud nos uidemus, ut illa credã, me conuincũt. Nónne maius hoc uidetur, quàm ut quis credere poßit, quod ex semine pusillo leni mamillarũ muliebriũ calore foto, animatur uermiculi folijs betinis, ut sericum faciant, educandi: qui quum adoleuerint, ex se gignunt cucullos, aut follicula serica, quibus inhabitant & immoriũtur: quæ inde acupictores accedente lixiuio, in globũ connectunt, & erutos examines uermiculos, fœminis sub mamillis iterum incubãdos tradunt, ut papiliones candidi fiant, qui alia semina cacando progignant: ut alij uermiculi pro lanificio nascantur, quæ uera esse, multoties ipse uidi. OEN. Non dubito. Atticus te stis mihi es, Crito. Sed Alexandri more facis, qui ubi non esset uini cupidus, longo sermone protrahebat cõuiuium. Bibe semel, ne uox raucescat. CRIT. Miror quòd tu hactenus nõ biberis, qui adeò sitibundum te modò prædicabat: & tu bibe. OEN. Et tu hospes rebibe, be-

De uermibus sericis.

Alexander nõ semper bibit.

luamq;

luamq; tuam marinam dilacerandam appone. HOSP. Tam præceps sum ad pocula, quàm naphta ad ignem. Non est quod iubeas. En hîc habetis Britannicam auem, si non saporosam, tamen magno constantem proculdubio. OEN. Proh Iupiter, corpore anserem ferè æquat, sed pedibus anatem, & rostro, pennas fortaßis coloratas habuit? HOSP. Perdicis instar. CRIT. Et quid de pennis, mactare bestiam, ne tã bonus odor frustrà nares affricet. OEN. Ego si qua parte melior esset nouerim, singulis adponerem. Tamen hîc à thorace, quid lacerandũ opinor, ubi carnosa uidetur. Præbe quadram, Crito. CRIT. Est profectò selectißimi saporis caro: utinam meæ uxori, quicquid mihi dederis, domum optare possem. OEN. Est admodum tibi cordi uxor, ut quæ bona habes, confestim illi optes? HOS. Optando pensum absoluit, re nihil præbet. CRI. Si possem, lubens præberẽ. Nam grauida est, multarum rerum appetens. HOSP. Quando pariet, ut auctiorem familiam habeas? CRI. Omni hora tumultum spero: nam secum obstetricem habet. quæ nullam dilationem promittit, quũ in undecimo mense sit HOSP. In undecimo? Tamen decẽuiris Romæ decretũ fuisse nouimus, nullam post decimum mensem pos

An mense undecimo poßit edere partum mulier.

ſe uterum gerere. CRIT. Sed in poſterum aliud docuit experientia. Complures enim hoc menſe ediderunt partus. HOS. Quo ergo iure imperator Iuſtinianus contra mulieris cuiuſdam pronũciauit petitionem? quod undecimo menſe poſt mortem peperiſſet mariti? Petierat enim filio tanquam legitimo hæreditatẽ: ubi lege ſanxit, ut quæ poſthac mulieres, hoc tempore, ſe peperiſſe iactarent, ueteris iuris ſubirent pœnas. CRI. Non dico imperatorem quid eſſe patratum iniuſtè, ſed rigoroſum ualde in hanc fuiſſe mulierem. HOSP. Eſt fortè Hippocratis medicorum ſummi inſequutus aſſerta, qui libro de natura fœtus, aliquot cauſas recenſet, propter quas uel honeſtiſsimæ matronæ, ſæpe numero ſe imprægnatas, cùm minimè ſint, arbitrantur. Etenim ſimilitudine quadam, ultra decimum menſem non poſſe fœtum contineri, argumentatur. Quemadmodũ enim gallinã ouo inſidere uideamus, inquit, & ouum calefieri, ſpiritum concipere, & ob ſuam raritatem, aere quãdoq; refrigerari, ex oui luteo pullum creari, & in membra informari, candido ſine albo nutricari, & uiceſimo die ob defectum nutrimenti uehementer agitari, membranasq; infringere, et matris adminiculo, quæ teſtem diſrumpat, prodire. Sic in locellis

Hippocrates de partu, qui fit undecimo menſe.

Egregia Hippocratis ſimilitudo.

cellis matris, infantis membra informari cerna mus quoq;(inquit) crescere, & tamdiu quieta latitare, donec mater amplius satis nutrire non ualeat: ubi tunc plus nutrimenti quæritās, quā adsit, ultra non quiescat, membranas lacerans, uinculisq; solutus foras progrediatur. Pro quibus omnibus decem menses satis esse testatur. Nisi antea, nutricationis incidat defectus, ubi decimum non expectare idem affirmat. CR. Neq; Hippocrati detraho, omnium medicorū facilè principi, cui ob diuinam artis cognitionem haud aliter cœptum est sacrificari antiquitus, quàm Dioni cuipiam. Sed Adriani imperatoris te meminisse uelim, qui Iustinianū præcessit, & ductu, cùm Græcorum philosophorū & medicorum, Aristotelis et Dioclis, tum Latinorum, ut M. Varronis in undecimum mensem usq; gestari posse concessit infantes, planè contra decemuirorum decreta. OEN. Sed illa nos à cœptis seducunt: dilacerate potius Britannicam auem, ut stomachum satiare poßim æstuantem, & bibite. CR. Rectè dicis: Nam parū refert, an uxor mea undecimo seu uigesimo mense pariat, modò feliciter pariat. Sed nares mihi pruriūt, & sternutandū est. HOS. Age gratias, quia salua res est, & bonū omen. CRIT. Quidum? HOS. Quod uxorē

Hippocrati olim sacrificari cœptum.

Varro de partu qui fit undecimo mense.

tuam feliciter pariturã sternutatio præsagiat.
Sternutatio, o minis loco. Nam rei, cuius inter sternutandum mentio fit, bonum successum sternutatio significat: maximè si ad simposij fuerit initium, quoniã ad medium dirum prænũciat. Homerus exemplo est,
Odys. lib. 17. qui Telemacho sternutante, malum procis Penelopes futurum ab Vlysse prædixit. Et Xenophon, qui dum sternutasset inter cõcionandum ad milites, totius exercitus se futurum sperauit ducẽ, & sic casus dedit. Sed Hippiæ, quòd sternutando dens excidisset, futuræ calamitatis augurium rati sunt. OEN. Et alias quoq; sternutando habuerunt obseruationes antiquitus. Nam si esset matutina sternutatio, nefanda ominari dicebant, & rei incœptandæ irritos conatus. Si uerò meridiana, potißimum à dextris, saluberrimi auspicij & symbolum ueritatis, et sprognosticum quandoq; liberationis à metu in
Cur sternutantibus salutem precemur. sidiarum. CRI. Hunc fortaßis obrepit, ut sternutanti salutem precemur. OEN. Sic Tiberium Cæsarẽ statuisse fama est, qui sternutationem sacrã rem arbitratus est & dixit, Salute optata, auerti omne quod nefandum aut dirum immineat. Sed ad auem nostram, Crito delicatioris es, dic cuius auis pulpamentum referat. CRIT. Perdicis certè. HOS. Galli potius, quem auritum uocãt. Nam color tres

facit

facit differentias. En hæc nigra galli est auriti, sub nigra capreoli, albicans perdicis. OEN. Miror supra modũ, ex fungis de putrido ligno tam deliciosas fieri aues. Profectò quisq; uideat naturæ mirabilia omnẽ excedere ingenij captum, eorumq; neminem certas posse ostendere causas. HOSP. Rectè quidem, sed nõ leuem, cœlum ducito, cuiusuis rei generandæ causam. Hoc enim, facta cõcoctione & digestione materiæ iamiam informandæ, suos cœlestes statim influxus, dotesq; mirificas, & uitam simul infundit, motũq; facit, qui prius sopitus iacuit, ut sulphur à flamma remotum. Id uerum esse quisq; notabit, qui Nemith librum Platonis legem continentem, lectitauerit. Nam ex uermibus mortuis, & calore sotis, generari culices inueniet, & ex equo mortuo uespas: ex uitulo & boue mortuis, apes. Ex cãcro ablatis chelis inhumato, & basilicone herba inter duos lapides trita, scorpionem: ex puluere anatis ueru tostæ & in fluuium proiecto, ranas: & eodem in pastillo cocto & terra sepulto, bufones: ex capillis menstruatæ mulieris sub fimo locatis, serpentes: ex pilo de cauda equi in aquam proiecto, uermem ualde perniciosum. Ast illis rebus nimium intenti, pocula negligimus. Oenophile, abstemius es? bibe, ne Clitorium te gu-

Generandorũ causa cœlum.

Liber Nemith miracula habet.

ſtaſſe prædicent. OEN. Cur Clitorium? HO. Quòd fontem quendam eſſe narrant Clitoriũ, qui ex eo bibentes, uinum odiſſe faciat: ſicut Ouidius his uerſibus bene declarat,

Clitorius abſtemius facit.

Clitorio quicunq; ſitum de fonte leuarit
Vina fugit, gaudetq; meris abſtemius undis.

OEN. Eſſet mirabilis fons. HO. Certè: ſed Plinius in iſtis rebus, naturam operoſam dicit opificẽ, & nõ quieſcere: unde alia quoq; magis ſtupenda recẽſet. Nam Mutianum ſcribere narrat: Andri Liberi patris eſſe fontem, qui ſtatis diebus uinum edat. Et in Indiæ terris fontẽ, cuius aqua lucernæ extinctæ, iterũ accendãtur. OEN. Videntur incredibilia iſthæc? HOS. Videntur: ſed qui iſtis fidẽ nõ habent, addiſcãt rogo, in nulla re naturam maiora exercere miracula, quàm aquis: potiſsimùm quum hoc elementũ alijs omnibus dominetur. OEN. Quomodo? ualentiorem ignem credidiſſem. HOS. Quem extinguit aqua. OEN. Aut terram HOSP. Quæ niſi aqua ſit, areſcit, & infœcunda redditur. OEN. Vel aerem, qui ſe alijs omnibus immiſcet. HOSP. Imò ſe aeri immiſcet aqua, quæ cœlum aſcendens, perſæpe attrahit ſecum piſcium ex amina, ranarum phalanges, & ingentes lapides, ſtans ſupra nos abſque aliqua ſuffultura, ſineq; alieno termino,

Andri fons uino ſcatens.

In aquis miraculoſæ operare natura.

Cur pluiſſe piſcibus ranis et lapidibus dicatur.

OEN.

OEN. Vera ſunt quæ narras. Nam euentu omnia experimur: perſæpe caſus dedit, ut imbribus piſces intermixti, & ranæ, de cœlo caderent. Et in Vogeſi partibus, ingentem lapidem penſo ducentarum librarum, quem aſcendens aqua ſecum in nubes uſq; (ſicut aſſequor coniectura) traxerat, maximo boatu, anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſecundo, in terram de cœlo, compertiſsimũ eſt cecidiſſe, qui adhuc Enſishemij eiuſdem regionis oppido, ſacrarum ædium tholo, ſuſpenſus cernitur. CRIT. Ego in auis Britannicæ nunc corio ludo, et mihi uiuo: cõfabulate, uos ſatis eſt ſi oſſa uobis relinquam. HOS. Placet ad modum? CR. Supra modum, neq; delicatiorem carnem uel unquã deguſtaſſe uideor. Non dubito profectò, non dubito, ſi Cleopatra hanc delibaſſet, in recompenſam ſuæ amiſſæ, & deuoratæ carnis aui, ſumptuoſas celebraſſet exequias. Nam etiam ſumptuoſa fuit mulier. HO. Aui? CR. Certè HOSP. Sed inſolens eſſet, aui habere exequias. CRI. Non tamen Romanos coruo, præcedente tibicinæ ſumptuoſas celebraſſe legimus. Et circa Myridis paludem, cornicis cuiuſdam atq; ibidis ſepulchra in hodiernum diem precioſo lapide ſculpta uidentur. Et Lacydes philoſophus anſeri, quòd quo-

Enſishemij Alſatiæ oppido lapis cecidit ualde magnus

Romani coruo habuerunt exequias.

quo iret sequeretur, effusis lachrymis tumulum struxit. Græcis usq; adeò detestabile fuit, cadauer inhumatum relinquere, ut Xãthippum canem luxisse et tumulasse legamus, Cimonem equum. Equis item Agrigentini, si bonos habuissent, pyramides erigebant. CR. Ad Romanos, denuò uanitas isthæc quoque defluxit. Nã Octauius Augustus & Hadrianus quoque Cæsar suos equos honorificè admodum tumulauerũt, ut monodiam, uterq; magno sumptu scriptam, adijcerit sepulturæ. Simile de commodo legimus & suo Praßino æquo, item de Alexandro & Bucephalo. HOS. Abusus sunt & rerum perditio. CRIT. Quæ Aegyptijs maior est: nam ælurõ animal, quod nos felẽ dicimus, sindone, sale, & aromatibus sepeliunt. HO. Hoc fœtidũ animal? CR. Herodotus usque adeò non fœtidum esse scribit, ut quæcunque mali odoris sint, fugiat: uentremq; exonerans scrobem prius faciat, cui excrementa ingerat, terraq;, ne fœtor sit, integat. OEN. Quã lubens ausculto, undiq; hãc deorũ auẽ dilacerãs, quæ Iouis cerebrũ mihi uidetur. CR. Apotheosim fortè huic celebrabis, ut Iupiter fiat. OEN. Apparatu magis dignã opinor apotheoseos, quàm omnes Romanorum deos indigetes. HO. Qualis iste fuit apparatus? OEN.

Epitaphia equis statuerũt.

Aegyptij felem sepeliunt aromato.

Cur feles excrementa integant.

Apparatus apotheoseos.

OEN. Vt pyram in tabernaculi formam, auro, ebore, signis & tabulis, exornatam cōstruerent: aquila, cum omnium odorum aggestu, in summo culmine locata: in aquā pyram senatus, equester ordo, & triumphales uiri, cum carminibus & hymnis, lectum ornatum purpura, et effigie eius, quem deificare uolebant, deportabant. Vbi aquila euolantē, propter ignem et fumum, omnes, corporis mole exuta, animam euolasse clamabant, atq; in posterum defecato corpore, in cœlestium numero, deorum cōsilia poßidere, & deum indigetem habendum. Tamen nullis hîc contingit honor, nisi quorum opera & uirtute Romanorum excreuissent res, & augusti (id est sancti) nominati forent. Aut qui propter eximias belli pacisq; artes, de genere humano benè meriti essent, & celebrem posteris memoriam reliquissent, Exemplo est Hercules, Castor, Pollux, Aesculapius, Romulus et Aeneas. Indi Iouem pluuialē indigetē, & Gangem flumen religiosè coluerunt. Germani Tuscionem terræ filium. Vnde Germania (si uerus sum) Teuschland nominata, & Lybici Psaphonem, quod aues cantillare edocuerat μέγας θεὸς Ψάφων. HO. Multos deos Romani coluerunt. OEN. Multos certè. Nam Varro magna inquisitione exercitatus, cunctos in unū colligere

Quos sanctificarint Romani.

Germania unde.

colligere statuit, sed imperfecto opere destitit, quod supra triginta milila fuisse autumarent. Nō dubito, si Iunius Dētatus prisco seculo tam gulosam misisset auē helluonibus, cōfestim stetisset æneus in foro, & dijs uelut ascripticium & magnæ rei autorem adiecissent. HOSP. Meritò: nam supra hoc, quod est multum delicata, monstrosa quoque est, & ab alijs uolatilibus sequestra. OEN. Quomodo? HOS. Quoniam uesicam, urinæ receptaculum, et renes in ea reperi, quibus omnes aliæ carent aues. CR. Singulare hoc est, & magnæ humiditatis argumentum. Quoniam natura, quæ in cunctis solertißimè negociatur, alijs auibus hæc membra negauit, timens ne in pinnas non increscerent, neq; uolare possent, si urinando humiditates proscriberent. Sit tamen utcunq; humida, laudabilis est et saporis multū grati, propter dulcedinē. HO. Ergo calori attestatū: dulcis enim, amarus, salsus & acutus sapores, calorē redarguūt, quarto simpliciū Galeno referēte. CR. Et sic hominis naturæ minus cōtraria est, et ferè carni humanæ similis, qualē suillā authores quoq; prædicēt, si castratæ suis fuerit, nō annosæ & salæ modicum conspersæ. HO. Suilla populariter malè audit. CRI. Sed medicis probatur. Nā octauo de Ratione sanitatis Galenus

Triginta millia fuerunt deorum.

Cur aues non habeant uesicā & renes.

Sapores qui calori attestentur.

Caro suilla probatur.

nus istam cæteris carnibus laudabiliorē scribit. Et tertio alimentorum quosdā conuiuis humanam carnē opulandū obtulisse ait, qui pro suilla, citra omnē suspicionē comederint. Idem docet Auerrois quinto colliget. Et Plinius, non ex alio animali, numerosiorem fuisse materiā ganeæ testatur, dum quinquaginta popinario luxui ex suilla carne excogitauerint sapores.

HOS. Certissimum est, omnes ex medica professione in hoc conuenire autores, quòd bona sit caro suilla, & bonum generet sanguinem: sed appendice cōnexa, si bene digeratur. OEN. Est fortassis digerendum inobediens? HOSP. Valde, propter suam uiscositatem, sed multum nutritiua, iisdem omnibus asserentibus. OEN. Aliud uerò noui quod magis nutriat, omnibusq; magis gratum est. HO. Quòd nam? OEN. Vinum. HOS. Quomodo uinum? quod non est edulum, non cibus, non esca, sed potus? OEN. Rectè, profectò: sed sanguinē facit qui corpus alit, maximè rubrum & crassum, Galeno teste Complexionum tertio libro: si in coquendi instrumentis, uentriculo quippe, iecinore & uenis moram traxerit, & rectè coquatur. HOSP. Hoc loco Galenum ex cribro diuinasse arbitraris. Cur illi nō subscribis, quando dicit secundo libro Interiorum, nono

Caro suilla indigestibilis.

Vinum nutrit.

capite

capite, quendam pergamentum iuuenem, quòd uinum gustasset, in perpetuas incidisse uigilias, & demum quoq; animam efflasse. Et à uino abstines? OEN. Hunc spiritosum & in magna copia hausisse, Galenus ait: quæ non aliter in debilibus, quum uinci non potest, calorem suffocet, & spiritus de repentè interimat, ac oleum quod confertim exiguæ flammæ multum infunditur: quæ tantùm absit, ut ardeat, quod suffocetur quoq; penitus. Vinum meas delicias puto, quomodo abstinerem? aqua & igne carerē citius quā uino. Nam optimū uitæ cōdimentum arbitror, quòd omnis sodalitas, omnisq; in unum conuentus uino constet, & sic contingetur uino, ut rectißimè quisquis fuerit, dixisse putēt. Vinum omnis amicitiæ fomitem esse, ueramq; sodalitatis metropolim. CRIT. Te igitur saluto hoc integro Herculis scypho.

Vinum sodalitatis metropolis.

OEN. Et ego uicißim hospitem meum, Nestoris amphora. HOS. Bibe affatim, Mamertinum est & suaue. OEN. Vtinam huius torrētem, nauigio habilem, ad manus haberemus, qualem Lucianus in occidentali Oceano se uidisse & gustasse scribit. CRI. Quid? ibidem flumen uinosum esse scribit? OEN. Certè: & melioris potentiorisq; uini, quàm Andrē fontem habere Mutianus scribit. Nam Chium fert

In Oceano torrens uino optimo fluens.

fert, quod paßim (ut aiunt) bonitate præcellit.
CRI. Est riuulus fortaßis ex minerali uena.
OEN. Nõ Sed ingens fluuius qui naues uehat
etiã magnas CR. Ego totam insulam explo-
ratũ pertrãsissem, ubi fõtẽ seu initiũ habuisset:
nam rerũ sum nouarũ ualde cupidus. OEN.
Cũ uiginti coætaneis, triginta in littore relictis
qui nauem custodirent, omnia perscrutatus est,
Et tribus fortè stadijs à mari per syluam quan-
dam, ubi caput esse debuerat, quod daret initiũ
multas ac magnas uites uuis onustas, & uinum
in alueum resudantes, ut flumen facerent, repe
rit. HOS. Sunt incredibilia isthæc. OEN.
Non. Bacchum enim eò usq; peruenisse tradit
idem Lucianus. qui tali honore dignatus est in-
sulam. Id quod etiamnum in hodiernum diem
uerum esse cernamus. Nam ibidẽ in saxo quo- Bacchi uestigium iugeris instar.
dam duo pedum uestigia compareant, unum
Bacchi iugeris instar: alterũ minus, Herculis.
CRIT. Quis autem Luciano dixisset Hercu
lis & Bacchi esse uestigia, quum incolarum ser
monis expers erat? Nam alia lingua quàm Græ
ca locutos, facilè crediderim. OEN. Adfuis
se columnam (ait) Græcis literis, sed caducis &
ferè consumptis conscriptam, singularum indi- Pisces ebrietatem causantes
cium. CRI. Mira refers. OEN. Vt ma
ior omniũ habeatur fides, addit, ex eo flumine

suos

ſuos collegas aliquot cepiſſe piſces ualde magnos uinei ſaporis: ſed ebrietatē, ſi quis comediſſet cauſare potentes, non niſi remedio ſolubilem. HOS. Quod remediū dicit? OEN. Vt marinis concoquerentur piſcibus in aqua & temperatura fieret. CRIT. Poſſunt eſſe uera: ſed abſurda uidētur. OEN. Addit amplius, ſe flumen hoc traieciſſe, & alias reperiſſe uites, quibus trūcus inferior qui à terra ſurgebat, ferax fuerit: ſuperiorem autem, pro palmitibus, uirgines habuiſſe pulchras, quibus ex digitis palmites emerſi, uuis pleni, quæ aducenas comiter ſalutauerint, deoſculando quoſdā q ſtatim ebrij neſciuerint ambulare deinceps. HOS. Nolumus detineri amplius Luciani cis ſcriptis, quin in noſtram diuertimus rem, dicturi quæ conuiuium honeſtent. Si uultis bellaria, uobis adponam. CRI. Non. Quoniam ſupereſt ex Oenophilo prius ſciſcitari unum: illi, quātum arbitror, relatu non iniucundum: mihi uerò, ſi dixerit, gratiſſimum auditu. Nam indefeſſus præſto ſum auditor. OEN. Quòd nam? CRIT. Quî fiat quòd tam copioſæ prolis ſis pater, quum philoſophorum concentus habeat, ſemen ebrij non prolificum: quod in nimiā humiditatem uergat, quæ exceſſiuam frigiditatem ſibi attrahat. Auicenna id prima

primi, his uerbis docente: Quando humidum (inquit) ultra quàm debet, adest, reddit corpus frigidius quàm oportet. OEN. Id meæ complexioni acceptum refero, quæ calida est & sicca: in cerebrali humido, semen ad iustam symmetriam sic perducēs, ut distemperata frigiditas oboriri nequeat: è cerebro enim rectam materiæ seminalis fermentationē descēdere, Hippocrates scribit. HOSP. Aristoteles hanc philosophorum opinionem non perpetuæ ueritatis esse scribit. Sed tertia Problematum sectione, persæpe usu uenire dicit, ut infœcūdum sit tumulentorum semen, quoniam quidem eueniat quandoq; inebriari quempiam, absq; magna uini copia, quod debilis sit cerebri, qui nihilominus pueros de se progignat, humiditate non potente, calorem & spiritus, reddere generationi inhabiles. OEN. Exemplo sum ego. Nam etsi modicum bibo, inebrior tamen frequenter. Sed quia æstiuo nunc potu, hyemaliq; refectione ubertim sumus obfarcti, cōuenit sympositicis nostris finem imponere, ne Zophorodorpides (hoc est, in noctem cōuiuium protrahentes) uulgares nos dicant. Tu Crito, quæsiti solutionem (ni fallor) pulchram nunc habes. Hospes, appone bellaria. HOSP. Iam in me est mora. Non enim apponam, nisi apertius lo-

Libro de acrē & aqua.

Ebrij quandoque proles generant.

quaris: & quid æstiuus sit potus, rectè dixeris? Ego calidum uinum intelligo, quale non apposui. Quid item hyemalis refectio: nam si niuem intelligis, quæ hyeme exuberat, mihi iniuriam facis, quũ optimis condituris pensum absoluerim. OEN. Noli me ingratum suspicari, sed diuersum intellige: etenim æstualis potus, ob temporis feruentem habitum affluens est, & uberior quàm qui alio tẽpore apponitur: hunc Græci κωθωνισμὸν, hoc est, largiorẽ appellitãt potum. Idem in hyemali refectione ducito. Hanc etenim hyemalem intelligo, quæ largiore apposita est manu, nec auariter. Nam hac anni parte uentres (Hippocrate asserente) sunt calidiores, & copiosiore alimento opus habent. Et non est quod mihi succẽseas, hospes. HO. Persuades apponam bellaria. En hîc habetis pomorum multa genera, & casei plures differentias: quisq; sumat pro uoto. CR. Galenus in libro de cibis boni uel mali succi, omnẽ caseũ, præter recentẽ, ex sanitatis, ceu cacochymum, expungit albo. HOSP. Tamẽ Zoroastem in deserto uiginti annis uegeto, sanoq; corpore, saltem caseo uixisse nouimus. Ast si insalubrem ducitis, hunc recondam. CRIT. Rectè, mi hospes: sed humaniter à te sumus excepti, qui corpus non solùm feceris tuo popinario

Aestiualis potus quid.

Hyemalis refectio quid. Aphor. lib. 1, apho. 3.

Tertio cap.

Omnis caseus mali succi est.

Zoroastes caseo uixit diu.

rio apparatu saginari, sed epicilicijs quæstionibus, & doctis narrationibus quoq; animum saginaueris: superest, ut sumptū ad calculum reducas, & symbolum persoluamus. HOSP. Si quisq; hunc siccarit culullum, & uterq; ænigma quod proposuero, declarauerit, nihil accipiam. OEN. De culullo nulla est diffidētia: possem omnibus, quibus debeo, sic cùm uellent, pro debitis satisfacere. Sed ænigmatū sum non usq; adeò expeditus interpres. CRIT. Neque ego sum Oedipus. Tamen profer quicquid habes, satis duxerim in magnis uoluisse. HO. Dic igitur Oenophile, quæ causa sit, quòd ubi primùm ieiunus ad nos uenisti, tam multū sitiueris, sed statim cibis modicum repleto, sitis diminuta sit. OEN. Vulgare est, quemuis ieiunū sitire. Sed ex Plutarchi uerbis Symposiorū sexto, ratio comparet. Quādo (inquit) corpus humanum ex elementorum qualitatibus quatuor compactum est, miraq; ratione artificis sic cōcinnatum, ut una harum sit quæ sola iuge sibi petat alimentum: calor quippe uel ignis, qui uelut inexplebile animal, in omnes horas hinc inde fomētum perquirat: hoc est, humectationem, sine qua nec in momētum durare potest. Sic igitur hospes, causam uim calorificā habes, quæ in ieiuno quicquid humidi corpus celat,

Cur famelicus sitiat.

Ex elementis unum quod iuge alimentum quærit.

iugiter absumit. Ex tuorum ergo debitorũ me expungito catalogo. Nam culullum quoq; euacuabo funditus. HOSP. Pensum tuum absoluisti, & liber es à symbolo. Nunc lampada Critoni tradã. Quæro igitur Crito, quomodo Hippocrates tam eminentis doctrinæ heros, parum deteriorem cibum, si suauior sit, præferendum duxerit meliori insuauiori, quum deteriorem semper profligandũ ratus essem? CR. Quæ huius farinæ Hippocrates scribat, secundo Separatorum sermonũ, atq; secundo Regiminis morborum acutorum: cum Auicenna tertia primi, capite regiminis eius quod comeditur & bibitur, cõpertissima sunt mihi. Sed Galenus pulchrè nõdum soluit, quãdo aphorismũ interpretatur præallegati libri trigesimum octauum: ubi dicit: Voluntatem in cibo considerandam esse, siquidem omnis cibus (inquit) sapidus, quo quis delectatur, à stomacho excipitur, retinetur, & cum delectatione digeritur, magisq; in substantiam, ob bonam applicationem, quæ malitiam corrigit, conuertitur aliti, quàm cibus melior, sed insuauior, quem stomachus refugit, nauseat, uomitum, inflationem, & rugitus inducendo. Addo tamen, Hippocratem parum deteriorem dixisse, non qui excessu peccet, & cacochimiam inducat. HOSP. Eleganter

Cũr cibus parum deterior quãdoque melior.

ganter admodũ propositi scyrphi solutionem dedisti. Bibe, & quoq; asymbolum te faciam. CRIT. Agimus tibi gratias, hospes. Cras te nobis quoq; sympotã eligemus, pro nostrarum rerum facultate quæq; oblaturi. HO. Ite igitur domum, uenit hesperus, ite sodales.

LIBRI QVINTI FINIS.

SERMONVM CONVIVALIVM Georgij Pictorij Villingani Doctoris medici, Liber sextus.

ARGVMENTVM HVIVS LIBRI SEXTI.

RVbigus & Rubigalia quid. Cur Rubigalia celebrentur. Carbunculus uitium quid. Rubigo unde. Floralia quæ. Græcorū dij qui. Aduersus rubiginem remedia. Cōtra tempestates tutamenta. De rana Mecœnatis. Verum conuiuium quale. Sueuorum laus. De Gallis, Hispanis & Cumanis. Cur regiones quædam obtusos nutriant alumnos. Diuitiæ cur insidiatrices. Socratis Phauorini, Bionis & Sophoclis dicta. Simonidis respōsum. Achorus quis. Apollo cur Parnopiō, Cōtra muscas, pulices, & cimices, remedia. Pythagoræ & Apollonij dicta. Piso cur urbis præfect⁹. Euolomi & Soliduri qui

qui. Attici Pomponij diligentia. Ira peripateticis onerosa res. Ira cos. Ira hydropisim curat. Cõtra iram remedia.

LIBER SEXTVS.

PERSONAE, Antipho, Cherea, Hospes.

ANTIPHO.

Qvur feriaris Cherea? CHER. *Quia feriæ sunt.* ANTIP. *Qui fugitant laborem, indies festos dies faciunt, quo liceat feriari. Dic cui numini ferias agis?* CHER. *Pompilij: hoc Rubigum nominant, & festum Rubigalia.* ANTI. *Quàm uana Romanorum est religio?* CHER. *Non admodum.* ANT. *Quamobrem?* CHER. *Quia agricolis, feriati dies permißi sunt, ut lusu, perpessos reficiant labores.* ANT. *Sed cur Pompilij numen dicis?* CHER. *Quia Numa Pompilius undecimo sui regni anno excogitauit.* ANT. *In finem quẽ modò dixisti?* CHER. *Non. Sed ne Rubigo segetes lædat.* ANT. *Quid est Rubigo?* CHER. *Plinius*

Rubigus & Rubigalia.

Cur Rubigalia celebrẽtur.

maximam segetum definiuit pestẽ. Et rectè quidem: sicut enim ferrugo, diuturno situ cõtrahitur in ferro, ærugo in argento impuro, seu ære si omphaco, uel alia re acri tangatur: sic rubigo sata occupat, & culmos non multum ab aristis humido nutrimentali priuat, ut fatua reddantur grana. ANT. Apud nos pestis illa nescitur. CHER. Nõ ubiq; φαλαρισμὸν exercet. Sed in roscido tractu potißimũ, perstatũ non habente. ANT. Non aliquam causam referunt agricolæ? CHER. Multas certè multi. Tamen pleriq; in hoc conueniunt, ut rorem inustum sole acri, in segetibus causam prædicent, sicut in uitibus eodem modo, carbunculum fieri testantur. ANT. Illis quoq; hallucinaris? CHE. Non. Sed utranq; iniuriam lunari rationi attribuo. ANT. Quomodo? CHE. Vt frigus à luna sole innoxio, causam narrem. Nam saltem noctu hanc luem, nullo sentiente irrepere clarißime nouimus, eo tempore quando luna in orbem est circumacta & deficit. ANT. In plenilunio? CHER. Certe: in primis tamen hac anni parte, qua Phœbus decimam subintrat tauri partem, & noctes frigidiores sunt. ANT. Sed quale numẽ est Rubigus? CHER. Quale Flora, cui floralia, ex Sibyllæ oraculis, ut omnia bene florescerent,

Rubigo quid Ferrugo & Aerugo.

Carbunculus in uitibus.

Floralia ex Sibyllæ oraculis.

rent, excogitarunt. ANT. Tamen ſcortum hanc Floram conſtat fuiſſe: quid cum iſtis numinibus? quæ rectius Mnamonas dixeris, quàm numina. CHER. Aſſuetudine fortaßis: ſic Romani à Græcis habent, ut quiſq; pro uoto numen affingat, apotheoſiq; apponat. Nam Græcos non puduit Timorem, Mortem, Pudorem, Famem, Appetitum, Impudicitiam, & alia ſexcenta huius farinæ numina tẽplis, aris, tholoq; uenerari. ANT. Aſt quibus ceremonijs tria iſthæc celebrantur Rubigalia? CHER. Primò in ſacris ſumus, ac canem Rubigo deo et auem ſumma deuotiõe pro ſegetibus offerimus. Hinc menſas omnigenis oneramus lautitijs, & unà uiuimus, maximos (ſi cui libeat) exſiccãdo calices. ANT. Et ſic quæ Pythagoras præcepit, uobis arrident: Extra publicam uiam non deflectẽdum. Habet enim communis hominum religio, ut frequẽter diuinis prophana compareant intermixta. Rarißimeq; ſacris innitãtur, quòd non cutis quoq; rationem annectant. Tamen ne communia nos deſeramus, ſi uis, lubens tecum ſubintrabo uicinum hoſpitium. CHE. Volo, eniximq; rogo. Nam fauces hærent præ ariditate: i præ, ego ſequar. ANT. En ſe obuiam nobis fert hoſpes Cherea, os illi ſublinito, ut lautionem ſe nobis promum exhibeat. CH.

Græcorũ diſ.

Rubigalia canem expetunt.

Extra publicã uiam non flectendum.

Rectè, hunc alloquar: hospes, bonum ex pharetra tibi precamur diem. HOSP. Tantundem uobis precor: quid huc uenistis optimi uiri? CHER. Conuiuandum: si quid igitur lautioris habeas edulij, rogamus nobis communices, teq; sympotam tertium iūgas. HOSP: Abierūt iam primùm helluones quidam, qui bibendum me compulerūt, ut satur sim, amplius non sitiens. Sed congerronem præstabo satis facundum. ANT. Satis est. Sed quid nobis adpones? HOSP. Armum ouillum habeo, ast non benè pinguem. ANT. Non refert: pinguedo uocis raucedinem facit. HOSP. En hîc habetis qualemqualem habeo, boni cōsulite. CHER. Amor condimentum est, amara faciēs dulcia, inquit Plautus. Satis est pinguis, susq; deq; ferimus hāc ariditatem, modò uinum præbeas ut arida humescant. HOSP. Quale uultis, habeo enim rubeū, album & rubellum, utrum in delicijs habetis adponam. ANT. Quod tibi uidetur optimum, adpone. & otius, ne uenter cum tota mei corporis fabrica, incendio pareat. HOSP. En duas præstò habet metretas puer rubelli uini, quod selectum arbitror: quisq; igitur strenuè nunc edat & potitet. Vxor enectum it duos gallinarum pullos ueru coquēdos. ANT. Rectè, mi hospes. Sed

Pinguedo raucedinem facit.

Amor optimè condimentum.

ſpes. Sed hanc cymbam uino refertam, tibi exſorbendam propino. CHER. Et ego talem oppam, ut abundè bibas. HOSP. Creditis me eſſe metam, in quam derigantur pocula, uelut ſagitta in ſcopum? Tamē prius dixi, me probè potum. ANT. Bibe quantum uis. Rubiginis adhuc recordor Cherea. Non utuntur alio pharmaco agriculturæ ſtudioſi, quàm ſerijs? CHER. Vtuntur. Nam lauri ramos agris infigunt, qui omnes ab hac tabe reddūt agros immunes. ANT. Carbunculum à uineis arceri audio, ſi ſarmentorum, palearum, herbarumq; euulſarum, corrodatur aggeries, & incendatur in uinearum confinio, tempore quo timetur hoc malum aut nebulæ. HOSP. Noſtrates, an magicum ſit neſcio, tres cancros fluuiales & uiuos in uinea incinerant, & eo cremore præſcripta arcent. CHER. Quoſdam, ſiluri carnē, ui carbonaria, in fumum redigiſſe, Varro ait, & tali ſuffitu carbunculū & nebulas proſcripſiſſe. ANT. A uirtute cœleſti contingere hæc, nemo eſt qui neſciat: & multo magis quæ Archibius ad Antiochum regem Syriæ ſcribit, quippe ſi fictili nouo includatur rana, quam rubetam dicunt, & in mediū ſepeliatur agri, non poſſe noxias eſſe aliquas tempeſtates. HOSP. Si ranas adeò reformi

Aduerſ. Rubigi. remedium.

Quomodo carbunculum arceant.

Contra tempeſta. remedium.

dant

dant superna, ut à terrenis, propter eas absti-neant, non miror amplius ranam Mecœnatis omnibus in Hetruria fuisse formidabilē. CH. Qualem habuit ranam Mecœnas? HOSP. In annulo signatorio sculptam. CHER. Magis igitur literas hac rana obsignatas timuerunt, quàm ipsam ranam? HOS. Citra dubiū: pari modo Sphingem Augusti. Ensiferū leonē Pompeij, & Seleuci anchoram, Romanis timorem fuisse, crediderim. ANT. Et Syllæ iugurtham adde, auumq; Lentuli, & partem Aphricani. HO. Loquēdo tempus insumitis, & frigore cibus corrumpitur. Antipho, hunc dilacera succulentum armum, ut aßidenti partem tribuas, & bibe. Tuq; Cherea itē cibo fruere & rebibe. Vestra res agitur. Culina interim & focus non cessant. CHER. Vnico ictu sitim infregi, hospes: nunc moderatius bibere possum, & uobis loquētibus colloqui. ANT. Rectè dicis. Nam bonorum amicorum concursus, nō est conuiuium, sed multorum tumultuantium conuentus: si ferculorum tantùm exquisita obseruetur congeries, & poculorum uarietas absq; epiciliceo, hoc est iocunda & amica confabulatione. CHER. Homo suauis es, sed Sueuus. ANT. Patre quidē Sueuo: abhominaris Sueuos? CHE. Non: sed cæteris nationibus

Rana Mecœnatis.

Verum conuiuium.

tionibus quotquot terra habet, Sueuos præpono. ANT. Quamobrem? CHR. Etenim si domi (quod dicitur) Sueuo grauem exequendam commiseris prouinciam, sedendo consultandoq; uincit. Si foris, omni telorum genere, cominus & eminus, cæsim & punctim oppugnare nouit, itemq; uincit. Quum cæteris nationibus opposito modo cõtingat. Id quod etiã-num in Gallis patet, dum ingenio domi pollent, solertesq; regnãt, sed foris Milesii sunt pugnæ inhabiles. Et Hispanis, domi Samiorum flores colligentibus, et foris pugnacibus. Taceam Cumanos qui, siue consilio, siue re opus sit, desides admodum sunt et inertes, ut pluuiarnm tempore, nisi admoniti, tectum subeant. ANT. At qua ratione fieri potest, ut subtilioris ingenij sunt Sueui, & imbecillis agiliores, quàm cæteræ nationes, quũ uel cæcis cõpareat, terrã Sueuicam duram esse, glebosam, sterilem, inertem, multumq; algentem, quæ potius alere deberet stupidos alumnos, bardos, insipidos ac tardos, quasi ex duris quercubus enatos? Subinde nanque orta principio attestantur, philosopho dicente. CHE. Rectè dicis: sed quicquid illis innatum comparet de bono, aëris puritati acceptum referas oportet. Nam purum aërem habent & tenuem, qui in procreatis mirificè opera-

Sueuos laudat Cherea.

Galli foris Milesii.

Hispanis foris pugnaces.

Cumani desides.

Sueuica terra dura & sterilis.

Sueui cur ingeniosi.

operatur, acuta & subtilia faciens ingenia, & ad quæuis peragenda prompta. Quum oppo- sito modo se habentibus, oppositum contingat. Quæ enim terra, etiamsi rerũ omnium ferax, & dapsilis, aërẽ poßidet crassum et pinguem, ingenia procreat crassa, retusa, habetia, multumq; torpentia. ANT. Aëris clementiam ac bonitatem huc conferre singulariter arbitror. Sed syderum ac supernorum influxus addere similiter duxerim. Constat enim cœlitus imprimi huic regioni symbolum, ut leues incolas poßideat & mendaces, tametsi purißimum teneat aërem: sicut in Græcis notatur, quorum innata fides, prouerbio uulgatim celebratur, pro uana & futili. Et Campanis, qui licet mendacium abhorreant, superbiæ tamẽ genuinæ, asterisco facilè notantur: sicut clarißimè Cicero ostendit, quando superbiæ domiciliũ Campanos habere scribit. HOSP. Si omnes sic biberent lepidißimi conuiuæ, uinum certè uilius in œnopolijs uenderetur. ANT. Imò charius, si quisque biberet pro uoto quantum uellet: nam satis nos bibimus. HOSP. Peni- sum uestrum absoluitis colloquio, nõ potu: sed interim nihil lucror, si omnes, quos indies habeo conuiuas, sic biberent, parum ditescerem. CHER. Tanti facis diuitias? bifariam peßimas

Cur quædam regiones obtusos alumnos habeat.

Aliquãdo regioni cœlitus imprimitur symbolum.

Græci leues. Cãpani Camperbi.

Superbiæ domicilium Campania.

Diuitiæ insidiatrices bifariam.

mas insidiatrices? HOS. Quomodo? CH. Nam primo insidiantur potentioribus, Hiaracis calculo, per inuidios, hinc pauperib. per diuites. HOS. Hesiodi potius innitor decreto, quãdo inquit: Est anima heu miseris numus mortalibus ipse. ANT. Sed potius innitendum erat quæ Isocrates habet, dum inquit, Diuitiæ magis uiciorum quàm uirtutum sunt pedissequæ. Præstant enim licẽtiam inertiæ, & ad uoluptates rerũ destructrices traducũt mortales. Audi Phauorinum de diuitijs loquẽtem: Homines (inquit) quandoq; risu dignos, quandoq; odio, quandoq; misericordia. Risu, quum diuitias appetunt, odio quum adsequuntur, misericordia quum eis negantur. Quibus Bion eleganter succinit, ubi ridendos homines scribit, qui diuitijs student, quas fortuna cæca præbeat, illiberalitas custodiat, probitas auferat. HOS. Omnia quæ dicitis non sunt cura Hippoclidi. Sophocles pariter philosophus. Pecunia inquit hominibus parit amicos et honores. Et Cicero eandem, neruum belli arbitratur. Audi potius Cherea Simonidem, qui interrogatus utrum eligendum, diuitiæ an sapientia, Qui ad dubito, inquit, ut qui uideam sapientes frequentare diuitum ædes: innuens Philosophos uerbis quidem contemnere diuitias, re tamen eas

Hesiodi decretum.

Isocratis dictum.

Phauorini dictum.

Bion dictum.

Sophoclis dictum.

Simonidis responsum.

captare. Vbi & te Cherea facilem harum rerum contemptorem arbitror, quarum maximè abundas, quæq; in tuis ædibus superant. CH. Quæ sunt hæ res? HOSP. Diuitiæ. CH. Ast, non quas cæcus ille Pluto donat, sed Cyrenaicus Achor, uel Hercules Conopio, seu Apollo Culiciarius uel Parnopion. HOSP. Non sum Oedipus, ut illa tam exotica poßim interpretari nomina: dic apertius. CHER. Ergo sic res habet, muscarum, culicum, pulicum, cimicum & murium opulētias intelligo. Nam harū tot habeo domi myriades, quot Phœbus atomos: quibus his meis opulentijs sic præsident Achor, Hercules Conopius, Apollo Culiciarius, & Parnopion: ut Cyrenaicis ratū fuerit, si Achori litassent perire muscas: Oetheis, culices, si Herculi Conopioni, ubi patria lingua Conopas culicem sonat: Atticis similiter, si Apollini, quem ideo Culiciarium uocabant: & Boeocijs mures, si Apollini, cui nomen Parnopiō dederūt, quod eorum lingua murem significat. HOSP. Præsentius ego remedium noui contra muscas: isthæc uana numina parum curo. CHE. Quòdnam? HOSP. Si fermētum cum ferri scobe, in locum ubi infestant, gustandum posueris. Aut ex atramenti sutorij, uel origani syluestris cremore suffitum feceris. CH.

Achorus muscarum deus.

Culicum deus.

Apollo parnopion.

Cōtra muscas remedium.

Facilè

Facilè hoc factu est. HOSP. Culices quoq; ex eiusdem atramenti mixti cum granis iuniperi, uel cedri, ut cupreßi scobe, statim pereunt, si gustauerint. Et pulices, decoctũ enecat cimini, uel rhododaphnes, in loco conspersum, siue aqua marina.

Cõtra culices, pulices, & cimices.

CH. Credo, harum rerum te quandoque fuisse opulentum: nam de his multa nouisti. HOSP. Nimirum: tot enim habui, ut hanc domum muscarum, culicum, pulicum, cimicum & murium dixisses metropolim, uel lernam potius. Ast cimices quoque atramento, cum felle taurino & oleo, siue oleo & sulphure lecticis illito delere soleo. Quas omnino defuturas, ait Democrittus, si pedes ceruinos grauato suspẽderis.

Democratis cõtra cimices medela.

Sed loquẽdo, succulentos istos negligitis pullos. Dilacerate beluas, & bibite. ANT. Non sitio: HOSP. Amygdala sitim faciunt: si uis apponam, ut uehiculum habeas uini. ANT. Sitim? HOSP. Maximè: si etenim uulpes de amygdalis gustauerit, nisi aquam proximè habeat, siticulosa perit.

Amygdala sitim faciunt.

CH. Pythagoras interrogatus, quidnam homines dijs similes faciat, qui uerum dicere, inquit.

Responsum Pythagoræ de ueritate.

HOSP. Quid uelis, intelligo: mendacium esse putas, quæ de amygdalis modò retuli, tamẽ nõ addubites esse uera. Me dictũ Apollonij deterret, ne mẽtiar: quum ait, Mentiri il-

Apollonij dictum.

liberale est, ueritas generosa. Cui Plato de Legi bus consentit, dicens: Veritas apud deos homines q; bonorum omnium potissima res est. Si

Conuiuæ raro unanimes.

uultis, apponam amygdala. CHE. Noluimus, quia ferias istas æquè confabulando celebramus, ac potando. Id tibi cõsultum uelim, hospes, exquisitiuus conuiuarũ perpendere naturas, & illis ad omnia quæ uolunt obsequundari. Raro enim reperias unanimes omnes, ad hoc Flacci dictum:

Tres mihi conuiuæ propè dissentire uidentur, Hic sympotas amat in multam noctem helluantes, quos Zophorodorpides rectè dixeris: sicut etiamnum de Tiberio historiæ narrant, qui Pi

Piso cur̃ urbis præfectus.

sonem, non ob aliam causam, urbis fecerat præfectum, quàm quòd secum aliquot integras noctes, inter pocula continuasset. Alter citharœdos uocat, & cantores, ut de Nerone legimus. Quidã inter pocula, fœminarum gaudent præsentia, prophanato pudore saltantiũ, sicut quõdam Babylonijs uulgare fuit. Nonnulli parasitos, quos Græci euolimos dicunt, Galli solidu-

Euolimi & soliduri qui.

ros, qui unà semper, quoquo ieris eunt: si dixeris, dicunt: si lugeas, lugent: si rideas, rident: ac uelut umbra in quemuis locum se dirigunt. Sed nos confabulationes & amicos sermones diligimus. Nõ propterea ut minus pecuniarũ infu

mamus,

mamus, quia pares esse uolumus, reliquis conui tis, quum symbolũ colligitur. Sed quod in uotis habeamusc cũ pulchrũ nobis uideatur, sic quoque animũ pascere, exẽplo ferè Attici Põpeij, & Alexandri Seueri, quibus confabulationum amor, eo usque increuit, ut libellos quoque in mensa, nonnunquam item in grabato, lectitauerint. HOSP. Opinor Cherea, quòd mihi excandescas, quia uos edendum bibẽdumq; hortatus sum, sed non est quod tibi bilem mouerim, bono cœlo factum cogita. Conuiuas quibus parum faueo, dehortor. CHE. Nõ sum iratus, in nos tuum beneuolum facilè scio animum ANT. Irasci peripateticis celebre est. Nam uirum esse negant, qui irasci nesciat. A quibus fortè mutuatus est Cicero, quæ dixit in Tusculanis quæstionibus: Iram cotem fortitudinis, per quã leges seruari, ius defendi, & arma pro patria suscitari maximè queant. HO. Si scripta medicorum diligẽter euoluas, ab istis longe diuersa notabis, potißimũ Galeni secundo de Symptomatum causis, & Auicennæ secunda primi. Nam peßimarum ægritudinum iram quandoq; causam scribunt. ANT. Si superfluat. Moderatã enim pari modo cõmendant, potißimum Alexander Benedictus, qui iram morbũ curare intercutaneũ dixit. HO.

Attici Põpeij diligentia.

Peripateticis honorosum irasci.

Ira Ciceronicos est.

Ira, causa ægritudinum.

Ira hydropisin curat.

Lento gradu in iram delabor, quam itē diu retineo, semper tamen cum aliqua meæ uirtutis iactura. Vnde bonū mihi optarim medicū, qui pharmaco hunc profligaret morbū: morbum enim rectè dixeris iram. ANT. Cliniā habeto Pythagoricum. Is enim quum in iracundiam sese præcipitem dari intelligeret, cōfestim antequàm prorsus inuaderetur ab ira, chordis aptatis citheram pulsare cōsueuit, quòd sic pacatiorem sese fieri arbitraretur. Simile de Homercio legimus Achille, qui cantando ueterum res gestas, indignationem suam cōsueuerat sopire. Sed Plato sapienter alio est usus medicamento, suos enim auditores, uel iratos, uel ebrios, ut speculum contemplarentur, admonuit: quòd crederet, si facies suas furibundas, & per omnia phreneticis similes, in speculo uiderent, eo dedecore terrere, ut in posterum ab ira & ebrietate sibi tēperarent. Plinius cibum & tempus, iræ interponendum suasit. Quòd pateat cibo edulcandam iram, non aliter quàm prouocandam nouimus, inedia. Tempus ualere probat Athenodorus uir doctißimus, qui dum ab Augusto discederet, ipsum admonuit, ut quotiens in irā incideret, ne quid prius, uel diceret, uel ageret, quàm alphabetum recitasset: quòd paruā hāc moram frenū opinaretur, animi ira commo-

Cliniæ contra iram remediū.

Achillis contra iram remediū.

Plato cōtra irā et ebrietatem.

Plinij medela contra iram.

Athenodori remedium.

nemoti. Sed ad rauim (quod aiũt) loquimur, nemo calculationis meminit, tametsi uesper senis incumbit. Hospes igitur subduc rationem ut surgamus. HOSP. Non subducã: sed ad cœnam uenitote, ubi totum in unum compingam. Valete nunc & abite.

LIBRI SEXTI FINIS.

SERMONVM CONVIVALIVM Georgij Pictorij Villingani Doctoris medici, Liber septimus.

ARGVMENTVM HVIVS LIBRI SEPTIMI.

BIbendi condimentum sitim esse. Lingua nihil esse acutius. Vxorũ conuitia quandoque toleranda. Officia muliebria quæ. Ira quid. Calumniãdi typus. De Hãnibalis bestia. De Cyrene meretrice. De patiẽtia. De Antonino pio. Serui alicuius argutum responsum. In pessimam uetulam ualedicendi modus.

LIBER

PERSONAE,
Hoſpes, Mitio, Demea.

HOSPES.

QVVR uos duo manibus hic ſtatis pectinatim inſertis? MIT. Supina id facit ab otio ſecuritas. HOSP. Male aũt: nam otiari nemo debet. DEM. Nemo? Tamen otiũ et cib. alienus, corpus impinguãt. Sed q̃d, ne ocioſi uideamur, faciendũ cenſes? HOSP. Conuiuandũ hoc furioſo tẽpore. Vinum profectò, quod domi habeo operariũ, uelle meum demonſtrabit. Nam uos domũ uocarẽ, ſi optimũ haberem. MI. Amicorũ conuiuiũ, etiã de plebeio conſtare poteſt, ſi bibendi condimentum adſit. DEM. Quale hoc eſt? HOS. Sitis. DEM. Rectè: ſed apud me nullus iam cõuiuiorũ habetur locus. HOSP. Qui dum? MIT. Ex fimbria iudicãdam texturam nouiſti, hoſpes. HOSP. Quid hoc ſit, neſcio. MIT. Ex facie animi habitum intelligendum, qui Demeam ſumma triſtitudine lancinari indicat. HOS. En præmonitus affabrè dolẽtem noto. Dic, rogo mi Demea. quis Areopagita, te ſinapi uel ce- Bibendi condimentum.

pis pauerit, ut toruum sic uideas Saturninus? DEM. Quid? uis nunc alium me esse id temporis, quàm semper fuerim? Tamen quasi ex Trophonij specu profugum, Demeã perpetuò uideas, tristem esse, incultum & tetricum: callem obduxi. MIT. Et id uerum esse scio, nam ex naturali tua constitutione id habes. HOSP. Sed præter solitum nunc tristari uideris. DEM. Magis item solito, id quod nollim, euenit. HOSP. Quód nam? DEM. Palàm hoc esse singulis non consultum uidetur. MIT. Quod amicis palam sit, non omnibus patet. DEM. Rectè: nam amicus alter ipse est, si uerus sit: si minus, perditio. Quod etiamnum in hoc meo sum expertus mœrore, quando aliquibus fucatis, id meum, quo crucior, malum indicaueram: gaudebant enim in sinu, quũ condolentiam simularent. MIT. Mamertes propterea, nisi per infortunium probatis, arcana suasit propalanda. Probatos nos scis Demea, dic igitur quicqd est, ut medicos habeas. DEM. Dicam: licet statuerim nemini dicturum amplius, attendite. Gladio perfossus sum acutißimo, etiam intoxicato. MIT. Oedipo loqueris non mihi, dum uulnus non comparet. dic apertius. DEM. Peßima peßimæ mulieris lingua, optimã famam perfodit meam. HO.

Amicus alter ipse.

Phi-

Philosophi instar loqueris, qui nihil acutius esse dixit praui hominis lingua: sed te beatum ex omni parte futurum speras: nihilq; uelle pati. Virum fortem, nō leuis, neq; omnis cōmouet, aura. DEM. Virum à uiro affici contumelia, ferēdum est: sed à muliere, imo lauernali bestia, graue & intolerabile. MI. Tamen Socrates non solùm uir, sed uel Apollinis oraculo sapiētißimus uir, tum aliàs, tum item Xantippē patienter tulit, quum ab ea lotio perfunderetur. Et Antoninus Imperator Cōmodi pater. Fuastinæ uxoris probrosa conuitia. DE. Honestas uxores contumeliando persæpe tolerandas nouimus, uel augendi amoris gratia, uel sobolis augendæ causa. Sed tales quis ferat diabolares? MIT. Vir fortis, ad omnem liuidulorum reflatum, ex tetragono constans. Qui omnem calumniandi materiam patienter ferendo maledicis subtrahit. DEM. Parum ego subtraho, sed patientiam sic laudo, ut quantum datur, abstineam. HOSP. Vereor autem, ne huius rabulæ naturam nō poßis infringere, etiāsi ungues euulseris, aut digitos fregeris: quòd raro in bonam redeat indolē, quæ semel in uiciorum inueterauit metropoli, iuxta prouerbium: Nūquam rectum tortile lignum Rectè profectò, rectè Plautinus ille amator,

Nihil acutius lingua.

Socrates conuitia tulit.

Vxorem conuītia toleranda.

Nunquā rectū tortile lignum.

nusquam fictum dixit, nusquã pictum, nusquã scriptum, quòd mulier mala, bene agat: id tamẽ reliqui est spei Demea, quòd rem ad magistratum deferas. DEM. Detuli. MIT. Quæ lata est sententia? DEM. Esse muliebria. HOSP. Ast qui in alterius candidam lasciuire famã muliebre esse pronunciant, sextũ diffamant, & uerum obticent. Nam diuus Hieronymus in nostra ecclesia summus, uirginem instituens Demetriadem, alia recẽset muliebria, tam ab his diuersa, quàm albũ distat à nigro. DE. Dic, rogo, quæ sunt. HOSP. Dicã, attẽde: præcipui esse amoris in uirum suũ, prolem ex illo susceptam diligenter nutrire. Cognatorum affiniumq; certam habere rationem. De absente tam esse sollicitam, quàm nunquam uel Penelope fuerit, uel Iulij Pompeij uxor, in ægrũ officiosam, in familiares mitem, in domesticos pacis seminatricem, secretorũ mariti minimè sollicitam, Alcestis ritu pro marito fata subeuntẽ, rerumq; domesticarum diligentem, & minimè oscitabundam. DEM. Vltimum hoc Lacedæmones per suam Venerem, pulchrè manifestarunt: dum hæc uno pede cocleam premat, si pingatur, et altero hircum, quòd coclea domum suam nunquam deserat, silentij symbolum, & hircus lasciuiam pedibus calcandam deno-

Plautus in Asinaria.

Officia muliebria secundum Hieronymum.

Alcestes pro marito mori paratur.

Græcè Veneris imago.

denotet. MIT. Rectè: sed quiescis nunc? et quicquid neui aut Thraciæ inußit notulæ, patienter suffers? DEM. Susq; deq; patienter, & coactus. Statueram aliquando data occasione huic exoßitãdum os, ut edentulam facerem: sed cautum est edicto, ne uerba, aut uerbulo potius, ipsam sinistrè alloquar. MIT. Magistratus fortè rem exactius discutit, quàm tu, qui animo disturbato nunc furis. Da ueniam dicto: ira enim, furor breuis est, Flacco teste. DEM. Sic patienter nunc quoque cogitaui, saltem id uellem, dum non datur ulterius, ut pro uoto uerbis tantùm, hanc lædere daretur impunè. MIT. Dic mi Demea, qua ratione, quóue modo id faceres? Da exemplum. HOSP. Prius apud me conuiuandum, te ductore diuertat: hinc quicquid habet, effundat. MIT. Nequaquam, sed cœptum cõtinuet, ut re perfecta diuertemus. DEM. Si ergo uultis ex abrupto uirulentius, hanc bestiam hoc modo lacessam, ac si deliberatus maximè, in huius faciẽ cõgrederer. HO. Nolumus. DEM. Attẽdite,

Ira quid.

Tu muliebre nephas, atq; insatiata Charibdis
Fingendi, cæci mancipiumq́; Ditis,
Cur modò de nobis audes mala dicere, mendax
Vipera? cur uirus spargere lethiferum?
Acuis & dentes in nos cur garrula? uibras

Calumniandi typus.

Et

Et linguam, nostrum liuida in exitium?
Fraudum mille modos fingis cur? scylla nocēdi:
In nos aculeum scorpio curq; moues?
Bestia lernalis, mendacia ficta coloras,
In nostram famam, cur modò candidulam?
Quū te nec uerbo trucidauimus ecce pusillo,
Semper quum fuerim blandulus atq; tibi:
Aequior ast nigrum succum loliginis ex te
Suffero, quòd cunctos contaminare soles:
Non est qui sanctam poßit seruare salutem,
Seu famam, totum certè per oppidulum:
Sed nec fata diu credas tam ferre maligna,
Condignam pœnam perfida certè lues.

Hipponax aliquos ad laqueum compulit.

MIT. Elegans profectò calumniato res, & scius. Credo quòd Hipponacti Iambographo quandoq; conuixeris, qui sic amarulentus & mordax suos aliquot aduersarios, ad laqueum malè dicēdo compulit. Ast si grauius calumniandi dare idioma, barbitonq; ad iniurias altius extendere uelles, qua ratione tētares? DEM. Attende, uires experiar. Dux Pœnarum Hannibal uidit in somnio beluam deuastātem syluas, agros, uillas, oppida, diuerticula, campos, fontes, & prata. Mulier autē hæc belua est, & uerè belua, non per somnium uisa, tygride inhumanior, ursa seuior, lupo uoracior, leone crudelior, cane rixosior, scorpione pestilentior,

Hannibalis bestia.

aspide

aſpide uirulentior, uulpe fraudulentior, hydra magis uerſipellis, hirco libidinoſior, paſſere ſalacior, graculo magis obſtrepera, harena ſiticuloſior, iride bibacior, deformitate deformior, & morte odioſior: quàm, cùm uolueris, Braſſam rectè dixeris, charius cacantẽ quam bibentem. Aut Catulli Lauellã, Cypriæ Veneris aſſeclã, ſeu Ariſtophanis Cyrenẽ, quàm δωδεκαμηχάνον, id eſt, duodecim machinamẽtorũ, q duodecim coeũdi excogitaſſet modos, nominarũt, Plutonẽ Ope progenitũ teſtãtur poëtæ. Sed hanc uerius Plutonis matrem crediderim, Thyſiphones materterã, Alectus ſororem, atq; Megeræ nutricẽ: quæ dum marito digladiandi, mane ante diẽ cõgreditur, cauſa, ut capillos ob leue delictum ab eo patratum, euellicet, oculos eruat, naſum dilaceret, gingiuas exoſſuet, auriculas proſcindat, guttur infringat, pugnis dolet, pedibus calcet, ſic bacchatur, ſic furit, ſic inſanit, intonat, clamat, inclamat, rixatur, dentitonat, hinnifremit: ueru, pelui, patinis, ollis & ahenulis ſic iaculatur, titionatur, ſcabellatur, cãdelabratur, bacculatur, furcatur, ſcopiſatur (noua enim iſtæc & inaudita beſtia, nouis & inauditis uocibus opus habet) ut tota uicinia, imò totũ oppidũ, citra ullius horologij ſonum, & abſq; omnium campanarum pulſum, facilè exper-

Cyrene inſignis meretrix.

Verba inuſitata & noua.

expergiſcatur, aut euigilet. Nam omnium cam panarũ campana eſt hæc latratrix uetula, tintinabulum eſt argutißimum, nola, tympanum, cymbalum, Architæ crepitaculum, Dodoneum æs, & Erynnis cornu: quod cùm horrendum ſonat, non aliter totum Furiarum conuocat conciliabulum, & oppidi garrulas & latrantes picas, quàm ſi præſtigiator quiſpiam exorciſmo aut coniuratione quadam, in unum mille ſerpentes conuocet, ut ſibilium faciant, & cuncta uenenoſißimis linguis inficiant. MIT. Specimẽ maledicẽtiæ profecto ſatis rabioſum dediſti, Demea. DEM. Maledicentia retundenda eſt maledicentia, & malo arboris nodo, malus requirendus cuneus. HOSP. Si retaliandi haberes optionem, rogo qua uia id attentandum ſtatueres. DEM. Aequè Hipponactis iambo. Attende:

In uetulam diram compreca tio.

Sed tibi quid præter pro talibus inuida dictis,
Aut pro confictis garrula criminibus?
Vt te Vulcanus lædat, tibi noxius & ſit,
Neptunusq́; furor Stygius, atq; Ditis,
Vt te flaua Ceres pro talibus infida, fictis,
Offendat, Phœbus lædere teq; uelit.
Marceſcatq́; ſitu tua lingula, quæ pòſt
Nec muſſare queat, nec blaterare uelit.

MIT. Complica uela, Demea. Nam ſatis, abundè

bundè satis, hanc suis depinxisti coloribus. Et mœrori tuo frenũ include, ne ad restim uenias, dum prudentis esse nouimus Pitaco Mitylene doctore, mala ne eueniãt sedulò curare, & si uenerint, patiẽter tolerare. DEM. Quódnam frenum inquis? MITI. Patientiam, quicquid enim patientia fit, leuius fit. Hinc uulnus tibi inflictum, adscribe, qui mihi uindictam inquit, & ego retribuam. DEM. Rectè sentis: sed durum est os tam effrene patiẽter ferre. MIT. Non. Sed tribus Antyceris potius hãc rabulã opus habere cogita: Hadriani quondam Imperatoris ritu, qui seruum in se armatum, citra uindictam, medicis adducendũ suasit, quòd furiosum arbitraretur. Cato fortitudinis heros petenti cuidam ueniam, à quo fuerat in balneo per imprudentiam percussus, respondit, Nunquam quòd tu me percusseris memini. Ea perpende Demea: & hoc item, non esse contumeliosiorem ultionem, si ulcisci libeat, quàm iudicare hanc indignam de qua ulciscare. quod uerum esse etiamnum in Aristide deprehẽdimus, cui quum improbus quidam os conspuisset, risit, dicẽs, Ne pòst alteri simile quid faceret. Antoninus item Pius, patriæ pater, tanta patiẽtia fœdum respõsum seruuli cuiusdam excipit, ut hoc tanquam præceptum sibi seruandum præscripserit,

Pitaci dictum.

Quicquid patientia fit, leuius fit.

Ad Rom. 12.

Hadriani patientia.

Catonis adducitur patientia.

Cõtumeliosior ultio quæ.

Aristidis patientia.

Antonini Pij constantia.

scripserit. Ingressus enim domũ seruuli, quæsiuit unde porphyreticas illas comparasset columnas. Respondit seruus, cùm in domum alterius ueneris, & surdus & mutus esto. Augustus item multis per multos conuicijs molestatus, nihil ægrè tulit, sed in ciuitate libera, & liberas linguas esse oportere dixit. En Demea, quanta isti fuerint patientiæ flumina? hos sequere, & miserrimum arbitrare, cui aduersi nihil acciderit unquam. DEM. Aegrotis facilè damus consilia, quũ nos ualemus: tu si hîc esses, aliter sentires. MIT. Non. DEM. Quid faceres autem? conniueres huic Thessalico portento? MIT. Maximè: dira precatione præmissa, ut posthac uiueret, qualiter omnibus de quibus male sentio, cuperem. DEM. Tamẽ precatus sum. Ast corolarij uice addam, ut illi extremum uale precer, attende.

Serui argutũ responsum.

Augusti dictũ.

Terentius.

Ad garrulam uetulam, extremum uale.

Viue uale, ut tua membra premat genus omne dolorum,
Vulturis & rabidi sit tua lingua cibus.
Viue, uale, nigri uentrem & tua uiscera corui
Discerpant, rabidæ cætera membra lupæ.

HOSP. Iam ergo diuertendum censeo conuiuandum, ut bonus ille Demea mœroris nebulam

lam uino discutiat. DEM. Haud fiet, nam mœroris lues altius radicem traxit, quàm ut uino euellatur. Velut enim conuiuium, non à genuina depulit iustitia Socratē, nec Platonē à naturali inquisitione, aut Thimeū à uirtutis innatæ officio: sic non Demeam ab arida istac tristitia uinum deijciet, quæ in eo callem (quod aiunt) obduxit. Tamen hospitem sympofiandi gratia adeundū non dissuadeo: si uultis, sequar.
HOS. Ambo petimus: sequere modò: statim adero ex cella uinum allaturus. DEM. Sequor.

LIBRI SEPTIMI
FINIS.

SERMONVM CONVIVALIVM Georgij Pictorij Villingani Doctoris medici, Liber octauus.

ARGVMENTVM HVIVS LIBRI OCTAVI.

OMnes homines auaros esse. Damnatur auaritia. Ebrietatis detestatio. Causa cur aurum palleat. Cur orientales timidi. Qui milites eligēdi. Cur nimius timor interimat. Cur famelicis pedes intumescant.

LIBER

LIBER OCTAVVS.

PERSONAE,

Lico, Panthus, Hospes.

LICO,

Buxo certè pallidior compares Panthe: cur sic palles? PAN. Quia sitio. LICO, Pallent qui sitiunt? PAN Maximé. LICO. Ergo sitit aurum, quod etiam pallet. PAN. Pallet, sed alia subest ratio huius palloris. LICO. Quænam? PAN. Quià multos insidiatores habet. LIC. Insiditores? quos insidiatores aurum haberet, Iouem ipsum oppugnare ualidum? PANT. Quos auri sacra disturbat fames. LIC. Auaros nimirum intelligis? PAN. Rem acu tangis LIC. At cur se non tuetur, quū potens sit, & belli neruus? PAN. Est hoc hominū genus uersipelle admodum astutum, uafrum, dolosum, mendax, nasutum & uersatile, ut uel Argus centocularis stratagemata, quæ parat, non uideat. LIC. Sed hoc confuso seculo, tantùm religiosos hac tabe inquinatos prædicant, quorum potentia sic friget, & annihilata decumbit, ut uel cæco compareat qualiter eorum Religiosi auari.

ſtimulo ſit recalcitrandum. Citra dubium facilè, ſi libeat, reſiſtet aurum. PAN. Facilè ſi illis tantùm congrediendum ſit, quos modò dixiſti. Sed fallit hæc alea, dum nullum iam hominum genus, hac tabe non infaſcinatum uideas. Si enim nobiles reſpicias, quid propter illorum auaritiam intentatum notaueris? Extorquent, emungunt, corradũt, rapiunt, mulctas excogitant, exactiones ſtatuunt, uectigalia fingũt, cenſus imponunt: ſubditorumq; magno labore collecta, ui, dolò & technis, in proprios uſus accommodant, ut fruantur. Si ciues, hoc cõſilium eorum inuenias, hoſce conatus, omnem mouere rudentem ut quærant, comportẽt, cumulẽt, & rem exaggerent. Dolos non curant, fraudes exercent & furta, nihil illis ſordidum eſt, nihil turpe, ſi pro lucro ſit, ſi uel unicum aſſem cumulo reponat. Tantum rei ampliandæ ardorẽ habent, ut illiberalibus quandoq; utantur, pietatem negligant, religionem reſpuãt. Famæ non habeãt reſpectum, omnemq; honeſtatem poſtponant, poſtponant amicos, conciues, familiares, uicinos, & quemuis alium, ſaltem ut habeat. Si deniq; mercatores contempleris, quã uim auro non timendam intelliges, dum ſic abiecti et degenerati hos uideas animi, ut per mare in extremos (lucelli cauſa) Indos currãt, per

Ciues auari.

Mercatores auari.

ſaxa

saxa item & scopulos, neglecta cōsideratione naufragia posse oboriri, incendia, ruinas, deprædationes, et iugulum quandoq;. Quib. admodum cordi est fœda poßidēdi libido, ut nemini de suo uel publicè uel priuatim absq; lucro communicent, defraudant, illaqueant, deierant, radunt & corradunt, ac nemini non imponunt. Si item fullones præteream, carpentarios, fabros, sutores, uitriarios, sarctores, lutifigulos, flascularios, artocopos, tinctores, aurifabros, tornatores, piscatores, & omnes huius farinæ homines: quorum omnium par studiū est cæsim et punctim, harpiarū instar, cumulo addere ac cum Vespasiano uel ex re turpißima lucrū emungere. Tamē præterirē istos nō conuenit, qui castra sequuntur panopliati, ut auro pallorem incutiant. Nam dei diuinorumq; sopita ratione furantur, ut habeant, rapiunt, depeculantur, compilant, intercipiunt, & dolo, ui, fraude, malisq; artibus, technis, & imposturis, auferunt, latrocinantur, sacrilegio student, cædes committunt, incestus item, & ob singularē auri appetentiam persæpe falsas obsignationes adornant. LICO. Mala ergo res est auaritia, & multum pertimescenda. PANTH. Auidius Caßius adeò malā censuit, ut miseram rempublicam duceret atq; infelicem, quæ ni-

Artifices auari.

Milites lucri causa belligeri.

Auaritia malares.

mis diuites, diuitiarumq; cupidos aleret ciues. Et Iulius Capitolinus, M. Antoninũ imperatorem, uirũ moribus & rebus gestis clarißimum, nihil in tota uita magis pertimuisse scribit, quã auaritiæ infamiam, nihilq; magis deprecatum eundem asserit. Crispus item Salustius, beluam dixit auaritiam immanem, quæ deuastare consueuerit oppida, agros, domos, & phana. LI. Claudiano fortis subscribente, qui secundo libro ad Stiliconem, scelerum matrem dixit cupiditatem, turpißima nutrice ambitione alitam. PANT. Et Cynico item, qui hanc, turpitudinis μητρόπολιν & arcem nominauit. Sed parergon faciemus, nunc de conuiuio narraturi. Nã anhela me disturbat sitis. LICO. Quã narrando non infringes, sed bibẽdo. Hospes ergo, uini porrige metretam huic sitiẽti pumici. PAN. Quid cum metreta? imò totum quadrantal, ut ebrius fiam. LICO. Bona uerba, cur ebrius? Nescis dæmoni tam amicum nihil esse, quàm ebrietatem, Chrisostomo referente? PAN. Scio mi uir, Sed inde mẽbra insigniter refoueri quoq; scio, instaurari humores, spiritus refici, titillari sensus, ac rationẽ expergefieri. LICO. Toto cœlo erras, ebrietati hæc adscribendo, quæ uino moderatè sumpto adscribendam nouimus. Audi fortißimũ Chri-

Auaritia belua.

Auaritia scelerum mater.

Ebrietas dæmoni amica.

sti athletam diuum Augustinum, quando de ebrietate in hæc uerba scribit: Ebrius quum absorbet uinum, absorbetur à uino, abominatur à deo, despicitur ab angelis, deridetur ab hominibus, destituitur à uirtutibus, cōfunditur à dæmonibus, & conculcatur ab omnibus. PAN. Ioco me locutum arbitrare, non enim bibo, nisi pro sitis quantitate, maximè fugiens ebrietatē. Porrige igitur hospes, quantumuis poculis tamen capacioribus, ut affatim bibam. HOSP. Traianus imperator, capacioribus etiam usus est, citra ebrietatem. Sed cur sic statis? discumbendum censuerim. PAN. Nequaquā: nam Hannibalis ritu, qui ad mensam nunquam sedit, conuiuabimur. LICO, Bibe otius, ut amplius rem de pallore continuemus. PANT. Tamē bibo: tu si quid de pallore reliqui habes, deprome. LICO, Palloris causam in auro, timorem dixisti, sed ab hac aliam ego adducā. PAN. Hanc ostende promptius, ne uelut lupus hians discedam. LIC. Quia aurum exangue est. PANT. Quid? facit sanguinis defectus pallorem? LIC. Facit & timorem item. PAN. Incredibile duxerim. LIC. Non: siquidem uerum esse, nationes id probant orientales, quæ dū soli quàm proximæ sunt & calore exsiccātur, licet ingenio ualeant & con

Augustinus de ebrietate.

Hannibal ad mensam stetit.

Alia causa cur aurum palleat.

Orientales timidi, sed ingeniosi.

filijs, pallent tamen: & ob sanguinis iacturam inconstanter pugnãt, cominus potissimũ, quòd uulnera timeant. Vbi modò se habent opposito

Septentrionales, fortes, sed inconsultiores.

septentrionales, à solis caloribus multum remoti. Hi enim dum succulentiores sunt, inconsultiores habentur. & pallore minimè tincti, sed promptiores ad arma, citra timorem. PAN. Septentrionales igitur, si bellum gerendum sit,

Qui milites eligendi.

eligendi sunt milites? LIC. Non: sed de temperatioribus meliores habentur plagis, quibus supersit exundans sanguinis copia, tum ad uulnerum, tum etiam ad mortis contemptũ, quibus item prudentia non deficiat, ut modestia regãt,

Qui milites optimi secũdum Catonem.

& in castris solerter regant. PAN. Cato senior hos dixit optimos, qui ambulantes manus non moueant, & pugnantes non pedes: quiq; non clarius stertant, quàm inclament. LIC.

Cur nimias timor interimat.

Hominem timore, si nimius sit, mortem inducere, rerum periti narrant: taliterq; Lycam, quũ Herculem insequẽtem fugeret, exanimatũ. per historias nouimus PAN. Id qua ratione fiat, miror. LIC. Quum naturalis uirtus in intimum corporis se cum sanguine impetuose proripit, & insitum uiuificumq; calorem, qui cordi uicinus est, nõ aliter suffocat atq; extinguit, quàm oleum plus æquo exundãs in lucerna elichnium opprimit. Sed dum confabulationi

tioni huic incumbimus, en pedes intumescunt, qui ut pharmacum addam, expetunt. PAN. Quódnam? LIC. Cibum. PAN. Credis intumescere pedes famescens? LIC. Maximè: siquidem intimus calor, ut perseueret, extrinseco indiget cibo: quem nisi dederis, crassari non corpus pergit; ut subinde quid auellat, & concoctionem impediat, crudumq; progignat: quod corpore attenuato ima petat, & tumorē craßitudinemq; ficiat: sic Plutarcho scribente. Cui princeps Auicēna primo canone, et Rases ad Almansorē fermè consentiunt. Galenus item tertio. Naturalium facultatū, quibus etiam laudatur, ut famam perpeßi, priusquàm comedant, euoment. Ne illatus cibus putridis undiq; interius corrasis, permisceātur, corrūpanturq;, morbos progenerans. PAN. Tutißimum ergo reor, ut hospes qui uinū tulit, cibos quoq; adponat, quo tumorem proscribas. LIC. Sententiam tuam pedibus ineo. HOS. Et ego: subite casulam discumbendum. PAN. Ipræ, Lico, ut sequar.

Cur famelico pedes intumescunt.

LIBRI OCTAVI FINIS.

SERMONVM CONVIVALIVM Georgij Pictorij Villingani Doctoris medici, Liber nonus.

ARGVMENTVM HVIVS LIBRI NONI.

DE Gymnoſophiſtis. Propinandi modus. De quodam Noruegiæ monte miraculoſo. De horrifico fulmine, quod Enſishemij ſuperioris Alſatię cecidit. De hominis miſeria. Iouem Homericũ duo habuiſſe dolia. De elephãte. Fulmen quid. Cur fulmen altu petat. In ſpecubus habitare, à fulmine non tãgantur. Quomodo fulmẽ fiat. Albam nubem eſſe innocuam. De natura pulueris pyrij. Cur tormentum bellicum ſonum edat. Quãdo tormenti uſus inuentus. Cur fulmẽ uites adurat. De lapide Enſishemio. Lapides quomodo in nubib. fiat. Vltimus hauſtus cur ἔρανος.

LIBER

LIBER NONVS.

PERSONAE,

Clito, Belus, Mantus.

CLITO,

ET quid hic sedetis, uacua tonsoris in umbra, uos duo? BEL. Otiosi cōtemplamur Eurotam. CLIT. Ast nemo ad otium natus est. BEL. Ad nauseam usq; laborauimus hic in hospitio, scyphos exsiccantes multum capaces. CLIT. Cur tam gratum laborem non continuatis, sole nondum occasum petente? MANT. Audi causam. Antequàm discūberemus, inter nos ratum fuit, ut quisq;, Gymnosophistico more, antequàm uinum & dapes adponerentur, humano generi lucrum faceret: & quid, aut sapienter dictum, aut sapienter factum, in medium daret: ac uelut in Assueri conuiuio, nullus bibendum nolentem cogeret. Sed statim ac mensam occupauimus, Thraces quatuor, aut homicidæ potius, nobis aßidunt: & dicta atq; facta nostra, suis bocaulibus interturbant, de magnitudine poculorum & numero subinde certantes, rixosi, olidi, & multum clamosi, à nostris tamē deliberatis ualde diuersa,

Gymnosophistæ ante epulas sapienter loquuti.

Inter pocula certantes homicidæ.

sem-

ſemper duo, & duo clamantes. CLIT. Aſt quid clamarunt? MAN. Quid?

Propinãdi modus.

Nos duo portamus, uobis duo uitra duobus.

Alij duo contrà.

Nos duo de uobis, capimus duo uitra duob.

CLIT. Fuit adeò ingratus uobis clamor iſte, qui ubiuis gentiũ popularis eſt? BEL. Scribit philoſophus, Noruegiæ montem eſſe formidoloſiſsimum, mari circũſeptum, ac inferni ſpeciem pro ſe ferentem: unde tantus eiulantiũ dæmonum planctus & clamores audiantur, ut ad integrum fermè miliare ſtrepitus, mirè dilatetur: quem montem citius inhabitare uellem, quàm horum uapparum furioſum ſtridorẽ, & turpiſsimos horum ebrioſorum ructus. CLI. Aſt quales hic in umbra confabulationes habetis? BEL. Statueramus in taberna, riſu & ioco plenas inuicẽ celebraſſe ferias. Sed hi porci Acarnanij in diuerſam nos cõpellunt. Nã Mantus hic noſter, quæ in patria mea contigerint, luctuoſa enarrat. CLIT. Luctuoſa? Mãte, dic quæ contigerint. MAN. Dicam Clito, attende. Hoc quinquageſimo quinto anno, die uiſitationi ſanctæ Theotocos dicato, ueſperi, ſeptima hora, fiſſa eſt nubes, quæ fulmẽ dedit. CLIT. Quid tum? MAN. Satim ac turris hoc excepit regia, pro bellicis tormẽtis muniminimi-

In Noruegia mõs mirabilis.

Enſisheimij fulmen cecidit terrificum.

nimine referta, solo æquata est, ædibus aliquot uicinis simul dirutis. CLIT. Sereno fortassis aëre? MAN. Non: quia nubes (ut dixi) comparuit subnigra, sine nimbo, sed cum enormi (ut cœlum casurũ duxisses) tonitrus boatu. CLIT. Et quid populus egit? MANT. Animo quisq; consternato, ceu casu ferè panico attonitus, mente caruit. Et denuò animis in sese recollectis, quisq; suum incommodum ægrè doluit. CLIT. Non mirum, siquidem nemo ἀστράπη ἐκ πυέλου dixerit. MAN. Profectò, quoniã nullam ferè domũ per totum oppidum, indemnem à turri eleuatus, reliquit uapor. Hanc enim disiectam, atque in summo culmine dirutam uideas. Alteram in imo funditus laceram. Tertiam fenestris & postibus orbam. Quartam ex æstuario obpessulato fornace mancam, seu clibano. Quintam item quæ amissam lugeat uestibulum, thyron, pseudothyron, hyperthyron, ualuas, uectes, trabes & postes. Sic ut nemo ferè nõ cõquestus fuerit infortunium. Sed mirum fuit Clito, memoratuq́; dignum, in populo tam stipato, in strage tam dira, in commißione tam enormi, nullum desideratum hominem. CLIT. Amisistis nullum? BEL. Nullũ, excepta muliere & puero. Vnde Dei suspicor iram clementem amantib. fuisse,

Id est fulgur ex pelui.

isse, & aduersus inanimata desæuisse. CLIT. Paranæticon edidit omnipotens. BEL. Quales? CLIT. Vt supplicationibus deuotis, precationibus castis, sanctitudine item impolluta, templatim deum uisitetis, auertandũ nimiã & eiusdem procellosam iram. BEL. Tuæ sum sentẽtiæ. Vereor tamen, ne hactenus obseruatam religionem, diutius obseruemus. CLIT. Quæ est ea? BEL. Vt clade sedata, et terrifico terribiliq; tremore propulso, deum negligamus. Nã patrius mos est, tunc maximè reuereri deũ, cùm aut periclitamur, aut cùm pauor spem expectarat, exanimatosq; consternat, seu cum periculo proximi sumus, quibus omnibus profligatis, cymbaq; nostra in uado seu portu rata, præteritorum nulla est memoria, quiescit religio, pietatisq; nec minimũ comparet iota. CLIT. Profectò, si iusti rationatores esse uolumus, & rem æqua lance perpendere, haud dubiè iudicabimus, nihil homine miserius, nihil calamitosius, quũ non solùm tot morbis conflictetur, tot animi tormentis accendatur, tot fortunæ iaculis consternatur. Sed cui etiam metuenda ueniant incẽdia, naufragia, præcipitia, tectorum lapsus, tremores terræ, fulgura, fulmina, ædiũ casus, & sexcenta alia id genus pericula. Meritò celeberrimi dixêre scriptores, paren-

Paranæticon omnipotentis.

Patria religio uana.

Hominis notatur miseria.

Multa homini incumbunt.

Parentem rerum ac opificem naturã, non tam matrem homini esse, quàm nouercam: quæ instar amoris Plautini, gustu dat dulce, amarum ad satietatem usq; aggerãs. In limine Iouis Homerici, duo habentur dolia, alterũ bonorum, alterum malorũ: sed quàm parcè, proh dolor, mortalib. bona instillantur? quàm largè mala propinantur? Euenit persæpe, ut uelut enormes elephanti porcinam uocem aut grunnitum, & leo animaliũ generosißimus gallorum cantum & faciem cristatam pertimeant. Sic nos friuola interturbent terriculamenta, umbræ quandoque propriæ, & præteruolitantes muscæ. Nunc autem nequaquam factitatũ id dixerim, sed potius optimo iure concussos omnes, & in rerum tanto conflictu, tanta strage, domuumq; euersione exanimatos meritò. Ast quid fulmen sit, quòd tanta uiolenter potest, supra modũ miror: dic (rogo) si quid de hac re nouisti, me participem facias. MAN. Pauca dicam: fulmen uapor est ignitus, solidus, cõpactus, nubibus inclusus, qui dũ ad casum pronus, claudentia rumpit, & sic citus & impetuosè cadit, ut quod tangi urat, liquefaciat, diuidat: aut cum tanta uiolentia euertat, ut in aëra, quod est mirabile dictu, res ponderosas ducat: sicut casus nuper factus, dictis meis fidem præbet. Nam à

Plauti dictum.

Iupiter Homericus duo dolia habet.

Elephas porcinam uocem et leo gallũ timet.

Fulmen quid.

nostri

nostri oppidi circunferentia, in centrum usque transmultarũ ædiũ tecto, postes, trabes, asseres, tigna et alia, quæ quasi uolatu perduxit, & de turri parietes, imò tota latera incrustata ualde ponderosa, transfossam oppidi publicam in aggerem exteriorem bellicum, tanto uirium conatu protrusit, ut nec centum equorũ labor cum repagulis & cathenis citius potuisset. Tamen ut modum per quem fulmen eiaculatur clarius intelligas. Finge nubium compressarum angustiam, medium spiritum, seu uaporem ignitum, sic impetuosè, coactéq; eijcere, ut si manibus pectinatim iunctis, aquam conceperis, quam utraque palma seu uola in modum syphonis uiolenter exprimas. CLIT. Vaporem igneum dicis esse fulmen, cur autẽ contra ignis naturam non sursum eleuatur? MAN. Violens id motus facit, qui deprimit. CLIT. Ast cur impetuose alta plerunq; tangit, ut turres, montes, altas pinus, & nauium malos, rarißimè naues? MAN. Quia alta nubibus & omnibus de cœlo cadentibus sunt opposita. Ima rarißimè tangi fulmine diurnus probat euentus, uel inde quòd naues sunt in imo potißimum. Vltra enim quinq; cubitos, sub terram fulmen descendere negant philosophi. Ideoq; contra fulmina tutius aiunt auxilium, profundis specubus sese abdere

Fulmẽ reluctare naturæ ignis.

Cur fulmen alta petat.

In specubus habitare à fulmine tuetur.

abdere, quàm uel coronari lauro, uel tegi uituli marini corio, aut aquilinis uestiri pēnis, lapidém ue gestare hyacinthū: quæ omnia non tangi fulmine, magni uiri scribunt. BEL. Quandoq; fulmen crumena illæsa, colliquasse pecunias contentas. Et gladium perforatum uagina integra Aristoteles refert: quod occultæ proprietati quidā addicāt: an uerum sit, nō liquet. MAN: Non esse uerum, maximè liquet. BE. Vnde autem crumena illæsa, quod intus habet fusile reddit, si uirtus speciuoca seu occulta id non facit? MAN. Huius ignei uaporis excellens subtilitas, dum ignis ignium est, id facit, Cardano teste: quæ crumenā illæsam, dum corpus rarum est, facilè subintrat, uelocißimo motu accedente, ob quem non diu exterius, ut discerpat, hæret. Propter duo enim quælibet res læditur, aut propter molem, aut propter moram quorum utcunq; fulmini abest. CLIT. Tamen complures, fulmen scribunt esse lapidem, cui transitus uix admittitur corio non disrupto. MAN. Scribunt: sed adhuc sub iudice lis est, an rectè scribant: dum non uerißimè constet inter autores, an saltem ignis sit impetuosus fulmen, an uapor ignitus in unum conglobatus. Albertus quarto lib. Naturalium, lapidem esse docet, istumq; fieri hoc modo, si ua

Quæ à fulmine non tangantur.

Fulmen colliquat argētum, crumena illæsa.

Propter duo res læditur.

porabilis commixtio terrestris uaporis, uiridi approximet nubi, quæ iam in conuersione sit in aquam: tunc conglutinetur illa commixtio, fortissima incensione obuiante, & decoquatur in lapidē, sicut farina in pastam: quo decocto, cōtrariarum qualitatum oborta pugna, in terram casus fiat lapidis, qui diuidat, et incendat. Et eo magis, si modicum rubeat & nigricet, approximans cōmixtioni nubes, dum forti calori rubedo, & nigredo multitudini uaporis attestentur. Commixtionem quæ nubi alterius coloris obuiat. non usque adeò timēdum innuit, tametsi nigram subrubentem modicum, ob fortitudinem ictus (nam fortiorem quàm nigra parit) quoque illaudabilem attestetur. Albam commixtionem obuiantem, qualis illa fuit, quæ nobis cladem dedit, cæteris minus nociuam, quòd ambarum qualitatum materiam exundantem non habeat, statimq; antequàm incendat, extinguatur. BEL. Quæ dicis, intelligo: sed hanc quoque albam aut subnigram fuisse, paulò antè dixisti, et multam calamitosam. MANT. Qualis plerunque est in materia facile inflammabili & sicca. CLIT. Sed turris illa regia ex parietibus latericijs, qui architectorum omnium sententia, fortitudine præstant, & æterni habentur, si ad perpendiculum

Non quælibet nubes fulmen facit.

Alba nubes innocua.

Parietes latericij æterni.

culum fiant, erecta fuit, nequaquam facile inflammabilis. MAN. At pro bellicis tormentis armatã, ab initio dixi. Nam puluere quem pyrium uocant, onusta fuit, materia (naphthæ instar) ad ignem prona, qua incensa, propter parietum & tecti subitam ruinam, flamma statim extincta est, sed nihilominus, turris uicinæq; domus, uapore exitum quærente, funditus dilaceratæ, & dirutæ sunt. Est enim huius pulueris ea uis & natura, ut dum accenditur, magis quàm centuplum pro exitu spacium occupare nitatur. Quod uerum esse, machina bellica perdocet, dũ parua mensura repleta, sphærulam, adiecto ab imo intrinsecus igne, confestim uiolenter excutit, perq; spacium ualde magnum protrudit, obuia quæq; euertens ac diruẽs, cum magno strepitu uel sono, quòd ignis ille affatim, & tanto impetu exeat, ut aërem repentè concutiat. Idem facit sphærula, quando aërem diuidit & exiccat: nisi puluis non confertim ualeàt, aut impurus sit, uel insufficiẽter elaboratus, seu parum habeat halinitri: tunc enim cum perexiguo exit boatu, aut penitus cum nullo, si boracis sit intermixtum nonnihil. CLI. Ex quib. tam horrendi mali cõficitur inuentũ? BEL. Ex trib. halinitri partibus duabus salignei carbonis, & una sulphuris. CL.

Puluis pyrius naphthæ similis.

Naturæ pulueris pyrij.

Cur tormentũ bellicum sonũ edat.

Ne sonum faciat bõbarda.

Qua arte fiat puluis pyrius.

Quem prædicant inueniſſe? BEL. Neſcitur inuentor certus, ſed Germaniæ dubitanter adſcribunt, & anno inuentum aiunt à Chriſto nato milleſimo trecenteſimo octuageſimo. CL. Quiſquis fuerit, dignus eſt, ne nominetur. Sed parergon facimus Mante, à relatione quam de fulmine habuimus, ſeducti. Redeamus in uiam. En Philoſophus ſecundo Metheororũ, rarò in hyeme fieri teſtatur fulmina, dum propter frigus rariſsimè uapor in aëre cõglobetur. Rarò item in æſtate, propter ſiccitatem, & ſubtilitatem aëris, qui nullam in nubibus uaporis ſimiliter patiatur aggregationem. Sed potiſsimùm autumnali, ac uernaliq; tempore, quando aër mobilis ſit & nimboſus: tametſi uerum eſſe nouimus oppoſitum, & ea maximè cadere æſtiuo tempore, dum calor eſt, & feruet. MANT. Philoſophus ex tripode loquitur, ſi uapor æſtiualis debilis ſit. Sed quãdo craſſus, qualis in noſtra calamitate comparuit & calor fortis, tũc eiuſmodi craſſum uaporem non conſumit calor, ſed eleuat ipſum magni ignis modo, qui accenſa ligna per aëre uehit. BEL. Aiunt fulmine percuſſa cõtra fulmẽ caput, uel cacumẽ ſemper dirigere: quid tu ſuper hac re ſentis? MA. Verũ eſſe ſentio, quoniã & arborũ haſtulæ ad ipſum diriguntur. BEL. Dic cauſam. MAN.

Quando tormenti uſus inuentus.

In hyeme cur rarò fulminet.

Autumnali uernoq; tempore cadunt fulmina.

Percuſsi caput ſemper ad fulmen.

Impetus uehementis ictus causa est, q oppositũ ad se conuertit. Licet & ea sit, quòd naturale est animali, dirigere se cõtra nociuum improuise prouenientem. CLIT. Cur autem facilè admodũ fulmen adurit uitis lignũ, quàm quercus aut buxus? MAN. Quia poros habet patulos uitis, à medulla quasi à centro ad circumferentiam uergentes, corticemq; diuaricatam, subtilem, & ferè nihil adhærentem, quum quercus aut buxus per longitudinẽ sui ligni, secundum cursum nutrimẽti à radice poros habeat, & corticẽ duram beneq; adhærentem & spissam. CLIT. Ergo rerum opifex natura aliquibus quoq; lignis nouerca fuit, aliquib. mater. MANT. Non: licet enim poros uiti recipiendum uaporem fulminis, dederit habiliores, quàm lignis alterius arboris: tamẽ in recompensam eidem latiora dedit folia, quibus se suosq; fructus tueri queat, id quod uinitoribus etiã compertißimũ est, dum folia condensant uiti, dum in flore est: sed cùm botris aggrauatur, eadem folia auferunt, ut insolari queant & maturescere. Pari modo aliquoties inspicienti fulgur, etiam intumescit facies uel excæcatur: habet enim pellem multum porosam homo & subtilem, ignisq; uaporosi facilè perceptibilem, qui humidum corrumpat inuentum, aut

Cur fulmen uites adurit.

Natura neq; arboribus nouerca.

Cur fulgur tumorem in facie perficiat.

oculos intret liquorem crystallinum exsiccan-
Lapis qui cecidit Ensishemij 1492.
dum. BEL. Ast de lapide quid sentis Ensis-
hemio, in ecclesiæ tholis suspenso, quem sereno
aëre, tamen cum tonitru de cœlo aiunt cecidis-
se? arbitraris etiam fulmẽ, Mante? MANT.
Non: licet enim cum impetu ceciderit, nemini
tamen damno fuit. Sed mineralem duco, ex ua-
porum eleuatorum cõmixtione in nubib. coa-
gulatum, non absq; argenti uiui, & sulphuris
terrestris & impurgati natura, argumento est
ferrugineus color, & põderosa moles. CLIT.
Hinc fortaßis est, quòd fulminis tam susceptibi
le notatur hoc oppidum? MANT. Nimi-
rum: nam simile, appetit simile. Sed fulmẽ quo
que eiusmodi esse, uel inde scimus, quòd omnia
Cordubæ lapis cecidit.
fulminata sulphur olent, Auicenna Cordubæ
consimilem cecidisse scribit, sulphur & sal ar-
moniacum referẽtem. Hieronymus Cardanus,
Lapis quomodo in nubibus fiant.
uir ex asse philosophus, lapides ex nubibus ca
dere nequaquam miratur, pulueres enim ex iu
gis uicinorum montium, uentorum impetu, in
nubes transferri docet, qui ibidẽ aliquando in
durescant, & lapides fiant. Et sic de patriæ tuæ
fulminis impetu, facto naufragio, satis habes,
Pitaci dictum.
Bele. Tu saltẽ quicquid hoc est, susq; deq; feras
moneo, cum Pitaco Mitylenco sentiẽs: Curare
prudentem, ne mala eueniãt: sed fortis, si uene
rint,

rint, patienter ea sufferre. Vultis ut hospitē alloquar pro optimi uini cyatho? BEL. Maximè, Mercurio libandum. CLIT. Cur Mercurio? BEL. Quòd Homerus hinc ultimū haustum proprium fecerit, quia somni cōciliator sit. MAN. Hinc fortaßis Iulius Pollux ultimum haustum, ἑρμῆν dixit, CLIT. Certò, sed parum refert cui deorum libemus: cura saltem ut habeamus. MAN. Valete statim adero.

Mercurio ultimus haustus.

Vltimus haustus, ἑρμῆν.

LIBRI NONI FINIS.

SERMONVM CONVIVALIVM Georgij Pictorij Villingani Doctoris medici, Liber decimus.

ARGVMENTVM HVIVS LIBRI DECIMI.

CVram & timorẽ esse morbum. Quæ D. Augustinus de perturbationibus sentiat. De Aeneæ conuiuium apud Euandrum. In quib. symbolũ reperiatur, ut statim peste corripiantur. Paucos suæ uitę cõplere pensum. Lacedæmonem oraculo Apollinis liberatam. Apollo cur Alexicacon appellatus. Causæ cur aẽr inficiatur. De peste quadam Romana. De tribus Charitatis obiectis. Et de charitate in proximum paucula.

Liber

PERSONAE,
Syrus, Crito.

SYRVS,

Es tu Censorinus ille Crito? CR. Sum equidem Syre, quid dubitas? SYR. Metamorphosis facit Crito prodigiosa. Quem enim saginatum abdomini & coquinarijs cupedijs seruientem paulo antè uideram, nunc pumice aridiorem intueor, macrum quasi per annulum trahendum. Sed fortaßis morbus te sic lancinat, prætenuemq; reddit aliquis? CRI. Id quod res est, loqueris. Nam cura distrahor nimia & timore, quæ morb. sunt. SYR. Tamen sapientis animum tesserarum instar, ad quemuis fortunæ statum semper erectum Stoici narrant, & cura nulla seu fortitudine obnubilari posse. CRI. In hoc magis gloriosos narrasse duxerim Stoicos, quàm ueros. Coplures enim uideas etiam philosophos sapientißimos, in quibus diuersum comparuerit. Quis enim Socratem Apollinis oraculo laudatum, Xantippes uxoris non pertimuisse dixerit minas & tonitrua? Quis item Aristippi Cyrenai-

Cura et timor morbus sunt.

Stoici apathes dixerunt sapientes.

ci pallorem, non ex timore naufragij ortum, cōtra Laertium affirmare ausus fuerit? Isthæc Stoicorum asserta, ne gry quidē facerim, eosq; potius μωροσόφους nominandos censuerim, q̄ philosophos, dum pluris habeā Augustini scripta, qui perturbationes in hominibus naturales dicit, & nō uoluntarias, minimeq; robustissimos milites, etiam muro uallatos æneo esse apathes, sed affectionem & pauorem nolint uelint, ad repentinos fragores, et incūbentia pericula, inhorrescere. SY. Sed quæ illa cura est? & quis timor? CRI. Vetat cōuiualium sermonum lex, ne, quicquid est, enarrē. SYR. At quæ illa lex est? CRI. Vt omnes quos atrior diuexat bilis & tristes sermones, à conuiuali submoueamus hilaritate. SYR. Euenit quandoq; ut etiam grauia, uel seria potius inter conuiuandum tractētur. Quos enim iocos? quos histrionicos usus? quos lasciuiores cātus Aeneam apud Euandrum, quādo sedile gramineum, thorus fuit, & spoliati leonis uillosum exuuium mensale, secundo Aeneidos tractasse legimus? nullos profectò, sed grauia saltem, sacerdote ad aram stante. Amicus ergo amico, quicquid curarum habes & timores enarra. CRI. Filium habeo ætate florētem, qui me timere & curare facit. Germaniam enim

Augustini sentētia de perturbationibus.

Aeneæ conuiuiū seriosum.

nim inhabitat inferiorem, non ſine periculo: Deus faxit, ut incolumis denuò patrios reſalutet penates. Cæca enim inuadit eam regionem peſtilentialis epedimia, incerta, inconſtans, uaga, inexorabilis, ſine lege, ſic furens, ut quoſcunq; inueniat obuios, celeriter rapiat, nullo medicamine profliganda. Vbi ne hac horrifica tabe, is quoq; filius meus aliquãdo langueſcat, in macilentiam uſq; uereor. Nam ad hanc luem medicis aſſerentibus, ſymbolũ habet, quia corpore præhumido eſt, cãdido effloreſcente, rubeo & obæſo, accedente etiamnum ætate, quia adoleſcens eſt, qui Aphroditẽ redamat & Bacchum. SYR. Arbitraris ſic diſpoſitos in hanc tyrannidem proniores? CRI. Arbitror, autorum ſuffragijs aſtipulantibus. Nam raſes in quarto ad Almanſorẽ id ſcribit, et Hali. SYR. Cur non in tutiorem ſe proripit locum? CRI. Tutiorem? quem tutiorem exiſtimas? Tamen phropheticum iſtud edocet: Dominũ uitæ terminos homini præſcripſiſſe, quos præterire nemo poßit. SYR. Rectè iudicas: ſed perpaucos cogita termini abſoluere conſtituti periodum. Quidam enim furto dãnati, laqueo exhalant, ne ſignatam compleant ætatem. Alij Martiales belligerantur, eandem non complentes, dum pereunt. Complures item uappæ, nimium

In quibus, ut peſte corripiantur, ſymbolũ.

Iob. 14.

Pauci terminũ uitæ complent.

uentri

uentri student, ut præmatura se quoq; morte promoueant. Et hi quibus fugienti, dum aër fuerit corruptus, in salubriorem datur occasio, minimeq; fugiunt, similiter aßignatam aduertant
Ecclesiast. 7. uitæ metam. Quod dubio procul excellens Propheta uoluit his uerbis: Vide ne moriaris in tẽpore non tuo. quæ sic interpretor, Cura ne tuæ necis causa sis, et antequàm scopum quẽ Deus optimus max. tibi præscripserit, attingas, tua i-
Et Leuit. 25. psius negligẽtia euoles. CR. Ast tertio Regũ
ac Num. 14. ultimo capite, supplicationibus & uotis quum pestis fuerat, Deum expiatũ legimus, non fuga. SYR. Rectè Crito: quũ enim ob scelera Deum iratum habemus, fuga in cassum quæritur: sed tantum precibus & pœnitentia placandus est. Hoc Gentiles quoque obseruarunt: dum enim Græcia quandoq;, & potißimùm Lacedæmon pestilentia nimium grauaretur, oraculo datum est, si Apollini supplicarent, generosißimamq; immolarent puellam, finẽ mali futurũ. Quod
Lacedæmon oraculo liberata est. dum ratum haberi uoluerunt Lacedæmones, et facta sorte, araq; instructa, cum deuotis supplicationibus præmißis, Helenam immolandum adducerent, ex aëre perpeti uolatu aquila descendit, & gladium pro hostia destinatũ, à uirgine declinat, in proximumq; deportat armentum, super iuuẽcam ponens, ut publico argu-
mento

mento significaret ab huius uirginis cæde quiescendum, & preculis pensitatis Apollinem orantes exaudiuisse. Vnde in posterum, Apollinem solem dixerunt, & Alexicacon nominarunt, quod est mala repellentem. Mala enim sol repellit, sospitatemq; animãtibus ingerit, si temperatus sit, nimietatemq; caloris cum siccitate euitet, quibus exundantibus oppositũ contingit. Nam sagittis, hoc est radijs suis lethiferis, in terram iaculatur, ut animãtia pereãt. Quod uerum esse, anno uidimus à uirginis partu sesquimillesimo quadragesimoprimo, quando ubiq; terrarũ propter siccam & æstuosam temperiem Apollinis, amnes defecerant perennes, fontium scaturigines, & pecora sitim patiebantur crudelissimam. Vnde tantus pestilentiæ sequebatur furor, ut ferè nullus per orbem ab hac tabe immunis repertus fuerit angulus. Et sic habes Crito, quæ ex tertio libro Regũ adduxisti (ni fallor) benè declarata. Sed quòd filium tuum secedendum in meliorem aërem consulo, sic habet. Fit interdum, ut aër à re corrumpatur externa, nõ ubiq;, sed una terrarum parte: sicut tempore Liuij factitatum legimus in Gallia, propter cremorem cadauerum, uel propter aquas aliquo modo infectas: uelut quandoq; in Aphrica contigisse fertur, ob innumerabiles locustas

Apollo alexicacon dictus.

Causæ cur aer inficiatur.

custas

custas mari immersas, & tandem in littus reiectas, seu propter magnos terrarum motus, qui terram aperiunt, & latentes uenenosi exhalēt uapores, quemadmodum olim Venetijs contigit. Aut propter alicuius uenenosi animalis in una regione latentis præsentiam, ut tempore diui Gregorij Roma uisum est, quando crudelißima oborta est pestis, propter draconem in litore Tiberis abscōditum. Siue propter Austri, quem Plinius morbidum nominat, aßiduum flatum: qui corpora, quū calidus & humidus sit, putredine disponit. Oborta igitur Crito, ex harum una causarum peste, facilè scito quemuis, precibus item non neglectis, non mortem, sed pestem effugere, & ab hac lue tutum in alio climate à Germania separato conseruari posse. Id etiamnum propheta Daniel buccis declarat apertis septimo cap. dicens: Qui in agro est, gladio morietur, & qui in ciuitate, pestilentia & fame deuorabitur: ast omnis saluabitur, qui fugerit ex eis. CRI. Sed apud suos est filius meus & sibi cognatos, quomodo in tam luctuoso deserat eos casu? charitati profectò aduersabitur fraternæ huiusmodi fuga, & uiscerū obseruatio uidebitur. cuius in prima meminit Ioānes tertio capite, his uerbis, Qui claudit uiscera ab eo qui necesse habet, quomodo charitas Dei est in illo?

Pestis Romæ propter draconem oborta.

in illo? SYR. Nõ aduersabitur, quoniam lege charitatis tenemur malum ab his remouere, si possumus, quos diligimus: diligimus autem corpora nostra. Nam tria, secundum Augustinum de doctrina Christiana, sunt charitatis obiecta. Vnũ, quod est supra nos, hoc est Deus. Alterum, quod sumus nos. Et tertium, quod est iuxta nos, proximus quippe. Ex quib. patet filio cõsultum esse, sui potißimũ habere rationem, & denuo suorum, si potest. Paulus clarißime id quoq; docet, ad Ephesios scribens quinto capite, inquiens: Nemo carnem suam unquam odio habuit, sed fouet & nutrit eam. Ingenuè tamẽ fateor, si aliqua ratione filius suis prodesse posset, quòd minimè fugiendum consulerem. Esset enim fuga isthæc, cõtra charitatis legem in proximũ. Paulus ad Romanos hoc talibus uerbis indicat tertio capite: Non sunt facienda mala, ut eueniãt bona. Circa quæ diuus Augustinus inquit: Omnia quæ cõtra proximi charitatem fiant, esse peccatum. Siquidem autem non aliquo modo sua præsentia subleuare potest suos, tutius est ut fuga circa ullã dilationẽ sibi consulat, ne aëre infecto, qui latè uiciũ suũ spargit, ut haurientes necet, & ipse inficiatur. Aëri enim genuinũ est, ut dum pestifer & pollutus esse cœpit, intra uitalia se proripiat, & morbos

Tria charitatis obiecta.

D. Augustini dictum.

morbos mortemq; inducat. CRI. Veritati consona loqueris, Syre? SYR. Maximè. CR. Scribā igitur, ut quoquo modo potest, dū suis auxiliari nequit, aliò se cōferat ubi benignior spiret aër, et tutior uiuat. SYR. Rectè modò statim fiat: nam diutius immorari, periculosum est. CRI. Iam accingor operi, et citò. SYR. Sat citò, si sat bene. CRI. Tu, si limites conuiuales egressus, mea tristi mœroris relatione fuerim, patienter id ferto. Nam Homero teste, fata dedêre homini patientius omnia ferre.

Vale.

LIBRI DECIMI
FINIS.

EBRIETATIS IN EXILIVM RELEGATAE THRENODIA, IN EIVSDEM

resurgentis tripudiandisq́ τρόπαι-ον per Georgium Pictorium doctorem medicum, diebus genialibus, quũ uniuersim inebriantur homines, quõdam conscripta.

GENEROSO COMITI, EIDEMQVE ILLVSTRI

Baroni, domino Suigharto, Comiti ab Helfenstaim, & Baroni ab Gundelfingen, domino & Mecœnati suo clementi, Georgius Pictorius Villinganus doctor medicus S. D.

QVVM annis plus minus uiginti abactis. Generose comes, & Baro illustris, per geniales dies, quos Libero sacros nouimus, manus à re medica nonnihil subtrahere statuissemus, animo nihilominus hæsit (ne dies sine linea elaberentur, & corpus non, ut ferrum ærugine, inerti ocio consumeretur) aliquid pro mea consuetudine agendum, & pro tempore, decorum obseruantes, hãc exulantis Ebrietatis effinximus threnodiam, & eiusdẽ denuò uictricis trophæum, quę blattis & tineis in risco literario nostro, in hũc usque diem, pro cibo rodenda, detinuimus. Sed hisce diebus præfatis, redimus. tum pro annuo cursu, maximè quum per omnem ciuitatem laruas lemuribus intermixtas, & ebrios furiosis annexos, hinc inde cursitantes uidere-

mus.

mus. libuit tandem iocularé istud animi ludicrum, quod in tempus (ut dictum est) latuit, in medium typis excudendum exponere tuæq; (generose comes) dominationi dicare: non quod chressa nota, uel carbone, te, uelut ebrietati fauentem, signare uelim. Sed ideo, quod facilius & magis syncerè, de re quadam probrosa quis iudicat, si eo probro non quoque sit impeditus: uel quod ex hoc meo figmento, uelut ex speculo contemplandum habeas, à regia maximè declinandum, quàm plures affectant, pessima pro optimis eligẽtes. Nõ dubito, Generose Comes & Baro illustris, rabulas futuros, qui medico, potissimum seni, tam ridicula nõ conuenire sint dicturi. Quib. respondebimus, non conueniens esse, eum qui ἱερὰν πικρὰν homines corpus seruandum ministrat, & sacrum amarum, hoc est eãdem ἱερὰν πικρὰν, ut ánimo prosit, & à publica uía deterreat, quoq; administrare. Fatemur, ut patet, status hominũ plures ebrietati fauentes inducere: nec tamen quenquam habere quod mecũ propterea iniuriarũ expostulet, quoq; fatemur: nisi proditor sui esse uelit, & latrando propriam detegere culpam. Maximè, si sanctissimum ecclesiæ athletum D. Hieronymũ nõ obaudiat,

quando nulli iniuriã fieri docet, dum generalis de uicijs habetur mentio. Id quod uerum esse re ipsa probat. Nam de episcopis scripsit, qui malè cõmisso funguntur officio, bonos ne uerbulo quidẽ oblædens. De immodestia quorundam clericorum ad Nepotianũ uerba fecit, sed modestis quid & bonis intulit? Ad Rusticum de inordinata monachorum uita item scripsit: multarũ desidiosam carpẽs ignauiam, optimis nec iotam detrahens Ad Eustochium de fœdis multa dedit uirginibus, sed quid ad Eustochium bonam? quæ sua uirginitate decenter usa? Sic nos rusticos, mechanicos, aduocatos, sacerdotes, nobiles & cœnobitas ebrios effinximus. aut re uera potius ebrios docuimus, sed hos rusticos & manuarios ab hac nostra cẽsura, indemnes proclamamus, quos indefessus & integer pro republica augẽda cõmendat labor, ebrietate relicta. Aduocatos itẽ sacerdotes, nobiles, & cœnobitas hos, ex hoc expungimus albo, qui clientes fouẽt, gregem citra auaritiam non excoriãt, subditos defendunt, & nomini respondẽt, solitudinem & sobrietatem amantes. Accipe igitur Generose comes, hoc quale quale est, pro candore tuo, figmẽtum, turpem ebrietatem notans, & data quan-

ta quan-

ta quandoque occasione lege, & relege aut si mauis ride. Dabit fortaísis melior postea fortuna, ut dignioribus tuā dominationem honestemus. Superfuissent certè multa de hac re huc ponenda. Sed quia in nostro de Sanitatis ratione libro, ad generosum comitē & Baronem ab Helhenstain, dominum Georgium, iam cæsareas uices Oenoponti tenentem, patrem tuum, charissimū heroa scriptum, copiosam in locis aliquot de ebrietate mentionem fecimus: breuibus hoc, quicquid est, absoluimus. Vale Generose comes, & Baro illustris. Ac Pictorum clietem præsidio foue. Datum Ensishemij, anno sesquimillesimo quinquagesimonono, mensis Iulij, die decimaseptima.

EBRIETATIS EXVLANTIS THRENODIA.

PERSONAE,

Oenophilus, Pamphagus, Ebrietas.

OENOPHILVS,

EN Pamphage, quis hic per uasta hæc montium, alijs in accessa, deuiat? PAM. Quisquis est, terribilis est. Et sic terribilis, ut uel leonem terreat, aut tygrim. OEN. Quidum? homo est. PAMPH. Dubius sum. OEN. Cur dubius? torue admodum uidet? PAM. Maximè, id quod ipse uideas. OEN. Non: mei enim caligant oculi. PAM. Vetulus es scio, sed non depontanus: cur ergo caligāt? OEN. Sic me Liber numine suo excæcauit, qui omnes sibi mancipatos hoc modo ditat, si largius bibant. PAM. Valeat igitur Liber, oculorum carnifex. Sed ad rem: nō uides Oenophile hoc monstrū? OEN. Per transennam ferme. Rogo, dic quid tibi uideatur,

Vinum oculos lædit.

deatur. PAMP. Quædam antea, nunquam uisa chymera, aut Erynnis potius: nam uertice coronato reflexa gerit cornua, trito induta supparo Leonis, Lupi, Simiæ & Suis, acu pictis, additis iconibus. OENOP. Quid narras? PAMP. Quod audis. OENO. Non alloquemur eam? PAMP. Si tibi uidetur. OENO. Videtur maximè. Sed ego qui te animosior sum, prior in hanc condescendam harenam. Heus mortalium quisquis es, quid per in hospita sic uagaris tesquas? EBR. Parce precor, mi homo, parce optime uir, me appellare mortalẽ, quæ dijs parentibus sum progenita. OEN. Sit uenia quæsiti, numen quale es? dic, rogo, unde traxeris ortum. EBR. Semine non ignoto. Nam Bacchi sum filia ex Nocte. OEN. Vah tam claris parentibus dea prodis? Rogo, in te neglectum non ægrè feras honorem, sed nomẽ tuum ede. EBR. Latini me dixêre Ebrietatem, Græci μέθυσμαρ. OEN. Es tu sacrosanctum hoc, & uenerabile numen? Cuius benigno toties afflatu tam probè lætificatus sum: ut asini exuuio tectum, Herculem crediderim leonino uellere trabeatum, & Onocephalum Mydam regem. EBR. Sum equidem. OEN. Et hinc nimirum coronata compares? EBRI.

Ebrietas unde nata.

Ebrietas qualiter à Græcis.

Non, sed id fabulæ subest, quòd omnes qui mihi sua nomina præbent, etiamsi Pausone mendiciores, & terræ filij sint, reges faciam, aut deos potius imaginando. OEN. Ast reflexa cornua & horrenda facies quid ad coronam? EBRI. Vt quisque sciat ebrios meos, inermes quoq; cornupetas, Græcorumq; edicto maiorem autoritatem addam: quibus lege cautum fuit, ut parentes, seruos ebrios, pueris sui ob oculos statuerēt, quo melius à moribus horum deprauatis, quos maximè nos imitandos censemus, abstinerent. OEN. Supparum autem quatuor bestiarum faciebus acu pictum, quo refers? EBR. Vt leo pronos ad uindictam redarguat ebrios: lupus, ebriorū uoracem ingluuiem & ululatum denotet: simia uarias horum gesticulationes quæuis incitando. Porcus raro asotos indicet, ter comesta, quater comedentes. OENO. Supra modum lætor, sanctißima dea, maximóque tripudio tuam intemeratam contemplar faciem, exultans, quòd contigerit hanc me uidere, quam incredibili desiderio per omnem uitæ meæ periodum oppidatim quæsiui, per urbes item, per uicos, per syluas, diuerticula, montes, compita, & inuia quæque loca. Te hactenus, optima dea, saltem animo menteq; uidi:

Ebrietas cur coronata.

Cur cornuta.

Quid supparū pictum.

Quid leo, lupus, simia, porcus.

uidi: nunc uerò ipsißimam uideo, talêmque intueor, qualem dia parentum tuorum, Liberi quippe & noctis, ediderunt minima. O faustũ felicemq; diem, ô diem meliore lapillo notandum, qui hanc ex insperato mihi fecit obuiam, cui me toties quãtus quãtus erã deuoui. Cuius capistro, cuiusq; freno lubens ora præbui, atq; in cuius uerbo pgræcando diesq; noctesq; pro pẽsius iuraui. Sed tu dic, agnoscis ne me? EBR. Non. OENO. Tuum ne Oenophilum? quo non est alter amantior tui? EBRI. Tu ne meus Oenophilus es, ille senex merobiba? OENO. Oenophilus. EBR, Quàm optate mihi nunc afflictæ, multumq; turbatæ te offers? OE.N Bona uerba: cur afflictæ, inquis? cur turbatæ, aut cur sic in syluis, uel asperis, atq; desertis locis horridula, incompta, squalida et palescens oberras? Te citius per ciuitates quæsiuissem hoc tempore, per hominum conuentus, regumq; aulas, ubi semper nomen tibi celebre extitit, & magnum. EBR. Rectè ais mi Oenophile: sed omnia nunc mutata uides, quæ olim uocabar paßim, nũc explodor ubiq;, exulans per loca, sicut uides, quæ uel crudelißimæ refugerẽt feræ. OEN. Edissere (quæso) causam EBR. Vt lubet. OEN. Edissere igitur. EBR. Attende, dicam misera. Exoticus

Ebrietatis nomen ubi celebre.

quidam myſtes, locutuleius, uentroſus, maximè tetricus, raſus, clamoſus, uitæ alienæ cenſor impendiò, ſeuerus supernè ciliceus, intimè linens, mendax & multū bibax: ex ſchola Catiana huc cōcionandi gratia, uirulentus: ab in perniciem meam, nuper appulit. OEN. Quomodo in perniciem? EBR. Audi, analogium debita hora aſcendit Hipponax ille, ac histrionis ſeu Mimi cuiuſdū ritu, genuino mordēdum ſe accingit: & clamare incipit, tam furioſo boatu, ut totam Arcadiā, aſinino rugitu tam ſonoram nunquam fuiſſe diceres, neq; Stētora ipſum. OEN. Porco expiaſſem. Nam muneribus iſti Biones, maximè placantur. EBRI. Nota tribus Antyciris: modò enim tabulatū pedibus, ac ſi infringere uellet, calcabat: manibus tandem & pugnis ſuggeſtum dolans, huc & illuc caput reflexit, corpus mouit, brachia uibrauit, manus proiecit: digitos iam pectinatim inſertos, modò panſos, ſubinde geſticulando incriſpauit: ut rectius comœdum, circulatorem, ſeu Prothea quempiam dixiſſes uerſipellem, quàm eccleſiaſten piè concionantem. OEN. Quid tum? quid clamauit leo Cumanus? EBRI. Agite pœnitentiam, agite, inquam: piaculares nunc approximant dies, & tempus ſobrium inſtat. Reſipiſcite, in aliud uitam inſtituentes.

Cauſam narrat exilij. *Deprauati quorūdam mores.* *Concio ad populum.*

entes. Veſtrum fuit dies mutare in noctes, et noctes in dies. Deſiſtite, ac ingluuiem, qua hactenus uti cõſueuiſtis diabolarum, proſcribite: inexplebilem capulãdi coërcete uoraginem. Corybãtium inſtar dementes hinc inde curſitaſtis, eiulatu tripudiãtes, ac ſi tartara refracta eſſẽt, prodiretq́; magni Ditis furioſum ſatellitiũ. Sed nunc uela complicate, ieiunantes eius ritu, qui ſuo precioſo ſanguine mundũ redemit, qui cor contritum exoptat, & humiliatum non deſpicit. Cuiq́; tale ieiuniũ placet, quale Eſaias propheta fideliter pijs inculcat: hoc eſt, ut prauum quodq́; deſideriũ ex animo proſcribamus, turpi ebrietate relicta: imò per ſaxa, per ignes, manibus & pedibus legatis, uelut omnis turpitudinis, nephandiq́; facinoris fœda metropolis, tranſmiſſa. OEN. Is fortè pro diui Pauli ſententia, ſuum procurauit epiſcopatum, & ſobrius, nullam uiciorum labe fermentatus, tam cedro dignum munus ritè tractauit, omnib. citra omne offendiculum piè cohabitans. EBR. Minimè: nam ſubinde, uel ad Plutonis uſq; carceres, ſe uino replet aſotus. OEN. Sed tritum eſt, Doctori turpe futurũ, ſi culpa redarguat ipſum: magiſq́; offendiculo quàm documẽto eccleſiaſten prædicant, ſi alium à ſua doctrina ſe habeat? EBR. Quid tum? ego nihilominus

Eſaiæ ieiunium.

Ebrietas turpitudinis metropulis.

Docens non ſit alienus à ſua doctrina.

pro-

proscripta patior, & exulo. OEN. Tua ipsius fortaßis culpa? Nã statim ad huius chrysologi placita, ciuitatem exiuisti. Ego rugitum bouinatoris ne gry quidẽ fecerim, nec exiuißẽ, diui Gregorij fretus assertis, qui Moralium trigesimo libro Huius doctrinam reprobam docet, qui non uitæ sit inculpatæ, & concionem uiuaciorem affirmat, magisq; efficacem, si prædicantis pura elucescat sanctitas. EBR. Id quod & Christus Matthæi quinto docet. Sed optio manendi mi Oenophile, nõ ex me pependit. Quoniam hominis boatus ad ciuitatis delatus est triarios, qui re modicum deliberata publicis seruis uel lictorib. potius, me funibus catenulisq; ligandam, ut in hãc incultam syluam, bestijs exossuanda, deartuanda, aut dilanianda potius deportarer, tradiderunt: ne ullas amplius ciuitates, aut hominũ possum ingredi conuẽticula. OEN. Væ triarijs, qui iniqua præcipienti, tam faciles obtemperarunt. Cur mystes ille clamosus, quæ Lactantius Firmianus libro de Falsa sapientia scribit, ex cathedra non promulgauit: ubi eos suæ doctrinæ pondus detrahere narrat, qui aliter q̃ docẽt, faciũt, illisq; non obtemperandũ suadet, ut qui exemplo suo non obtemperare doceãt, & mendacium offerant, non in pectore, sed labijs tantũ bonitatem habentes

D. Gregorij sententia.

Prædicans sit purus.

Cap. 16.
Lactantius de malis prædicatoribus.

habentes. EBR. Dispeream Oenophile, uirus in labijs hic habuit, & toxicum in pectore, quòd maleficus in me omni auxilio destitutā, & crudelißimè afflictam deam, pleno cornu effudit. OEN. Ne clauū abijcias, dea es. EBR. Sed misera, exulans, deploranda & crudeliter afflicta. OEN. Non. EBR. NON? quæ igitur tibi uideor? Regum aulas incolui, nunc inhospita tesqua: prius Iouis saginabar cerebro, nunc glandib. uescor & radiculis: sæpius aurea pocula leuabant sitim, quod nunc caua manus facit: subinde lectus ex serico fuit, iam silex lectū præbet, & filix stragulam, quam me arbitraris? nō afflictam? aut deploratæ sortis exulantem? Si reditus denuò quid spei superesset, omnia susq; deq; ferenda duxerim: sed quicqd usquā uel solacij, uel confidētiæ quādoq; mihi affulsit, totum abest, totumq; latet. Actum est, conclamatū est: pereo. OEN. Ne laqueum quæras, redibis denuò. EBR. Non: siquidē in uerba iuraui non rediturum, si superstes maneam, à feris non discerpta. OEN. Id autem, optima dea, remedio esse poterit, quod uetita placent, ad hoc Nasonis secundo Elegiarum dictum: Quod licet, ingratum est: quod nō licet, acrius urit. Nō dubites, si propius ciuitates accesseris, ultrò & sturnatim populares ad te ueniunt

Ebrietas in quo precio.

Ebrietatis diffidentia.

Nitimur in uetitum.

nient, orantes ut matures reditum. Est enim hominum, maximè hoc seculo, talis natura, ut semper in uetitum nitantur, cupiantq; negata. Triariorum consulta, uisa ebrietate, nec tanti facient. EBR. Sic arbitraris? OEN. Arbitror: superest ut periculum facias. EBR. Faciam: ast quid fiet, si ligata, foro sistere compellor? OEN. Non, si consultè rem fueris aggressus. EBR. Quomodo? OEN. Ne magistratũ primò accesseris. EBR. Quos autem? OEN. Polentarios rusticos, atq; tunicatos de plebe, qui natura propẽsiores sunt, ne magistratus obseruẽt. Qui si te uoti compotem reddiderint, idq; assequuta fueris quod affectabas, statim te ad manuarios cõuertas artifices, quos citra dubium, uerborũ lenocinio, si blanda fueris, sic fascinabis, ut quisq; uel Gigis annulum, seu Orci galeã, te habere dixerit. Nam prius etiam per iugulum, te amore sunt prosequuti. Mox templum uisas, ut te cãtillantes tui uideant sacrificuli: quos nimium semper tibi præ alijs, ut charos, ita etiã optimos fuisse nouisti: qui ex tripode loquor) saltem intuitu, in tui fauorem incitabuntur, suapte natura, uel ex officio potius, Ebrietatem sibi præsentißimum numen facientes. Vbi si aleam pro uoto cecidisse noueris, confestim nobilium accede collegium,

Humana natura.

Plebs rarò magistratus curat.

gium: quibus adeò in uotis es, ut citius uel aqua uel igni careant, quàm Ebrietate. EBR. Eos tanti me fecisse Oenophile scio, ut complures meo nomine sibi ipsis iugulatum intulisse uiderim. Complures item lepram, pedes elephanticos, apoplexiam, Herculeum morbum, intestinorum tormina, podagram, fœtidũ oris anhelitum, scintillantes lipposq; oculos, atq; alios huius farinæ morbos. OEN. Si hos tibi mancipatos intellexeris, non est quod uerearis quicquam senatorios fastus, aut magistratuum supercilio ſa edicta: hi pro te, sicut conuenit, omni telorũ genere, cominus & eminus pugnabunt. EBR. Sed promissis standum uidetur, iuramẽto promisi, liceat à feris illæsa euadam, non redituram. OEN. Quid ad Rhombum? te nobiles isti facilè absoluent, nam diploma habent papisticũ, ut omnia quæ libeãt, liceãt. EB. Vires addis Oenophile. Sed licet pro me cõtis armisq; pugnent nobiles, nihilominus tamen, illorũ rabiosa maledicentia pertimescenda est, & acria uerba, qui uirus spirant. Catonianoq; in uicia tument supercilio, quiq; huc me ligatã abiecerunt, & omnia rata uolunt, quæ publicitus uetita præscribuntur. OEN. Verba nihili ducas, quæ te non lædent: non famam minuent, non maiestatem, non honorem neq; dignitatem.

Nobiles ebrietatis causa se negligunt.

Nobilib. quæ lubent, licent.

tatem, uidisti aurum corruptum ærugine? aut uirtutem ueneficorum uocib. inquinatam? quo plura in te maledixerint, eo magis detegent, ui tuperando laudanda, propriã insaniã. A turpibus uituperari laus est. Optimi (Cicero inquit) ab optimis uituperari, non possunt. Maledicendo æquè faciẽt ut Græcus Erostratus, qui cùm esset ignobilis, & nulla uirtute præditus, famamq; cuperet celebrem quam uirtute assequi non poterat, scelere comparare studuit, ac Dianæ Ephesiæ templum incendit, unde sempiternam sibi conflauit infamiam. Sic & ipsis quorum uerba times, eueniet, si te laudandum uituperent, tibi ue optimæ deæ maledixerint. Tenta saltem, & nobiles audacter accede, ubi citra dubium Hercules pro te pugnantem inuenies.

Aurum ærugine non corrumpitur.

Optimi, uituperari nõ possunt.

Erostrati infamia unde.

EBR. Tentabo. Ast si ex animi sententia omnia tentata contingat, quid denuò faciam?

OEN. Ecce, rem fermè oblitus fuerã palmariam: post nobiles, religionis nõ sunt negligẽdi heroës, quos monachos aut cœnobitas uocant, & monasteria, uelut aues caueas, inhabitant, probè saginati, & Grunnij planè Acarnanij. Eos quoq; uisas, ut abũdè experiaris, quos sub tuo stipendio sacramentarios habeas. Sunt profectò boni fratres, qui hactenus omniũ uirtutum officinam te esse rati sunt, qui etiam ebrij, stoma-

ſtomacho crudo, & ebrietate nocturna non ad huc deſpumata, ad deum optimum maximum ſacra ſua minimè negligunt, hos, crede mihi) tibi optimè morigeros habebis, et faciles, ne diſfer. EBR. Non differam. Sed meos barbatenus philoſophos, & uiciorũ Ariſtarchos, quos Prædicantes, aut Verbi miniſtros uocant, negligam? OEN. Nequaquam: ſed blanditer hos affare, ut gaudeãt. Eſt enim populus Vlyßis remigio planè aſſuetus, qui multum Ebrietate utuntur, ſi teſte careant: propera ſaltem. EBR. Properabo. Sed id prius addam, Bono conſultore nihil eſſe præſtantius. Nam animum pedibus proieciſſem, ueniſſetq; mea res, uel ad reſtim denuò, ſi te conſilio non habuiſſem præſentem. Gratias igitur ago, mi Oenophile. Hîc quæſo meo præſtoleris reditũ. Nam abeo nũc. Deus faxit ut benè cadat hæc alea, neq; oppoſitum contingat: aut conclumatũ erit, ſeu actum potius. Vale, ſtatim adero. OEN. Benè uale: ſed fac bona dea, ut ueſte trabeata urbem intres, neq; ſic nuda compareas, ne furioſam te arbitrentur omnes. EBR. Faciam ſedulò.

Prædicantes Ariſtarchi.

Bono conſultore nihil præſtantius.

ΜΕΘΥΣΜΑΤΟΣ,

HOC EST, EBRIETATIS uictricis, τρόπαιον.

PERSONAE,

EBRIETAS, OENOPHILVS.

EBRIETAS.

VT ego ſum læta, dum ſic me ſeruatam dij uolunt, & conſortem, ut cor nunc palpitat gaudio, feruetq́; ardētior ſanguis? Vtinā Oenophilus adſit, qui tam ſalubri me admonuit conſilio: albæ profectò, gallinæ filius, fatali quadā felicitate obuiam mihi factus. Geſtaui profectò, geſtaui, laureum baculum, dum magiſtratus ſic exulandam ex hominum cœtu funibus ligatā proſcripſit, & præter omnem ſpem indemnis euaſi, et amplius regno. Quàm uellem nunc meū habere Oenophilum? qui bonum à me exciperet euāgelium, minimeq́; Homericum? OEN. Tamen adſum: ſed dic, cur ſic clamitans triumpharis? EBR. Quòd lux mihi affulſerit cādidæ bonæq́; fortunæ ilias. OEN. Dauus ſum, nō Oedipus, effare rem apertius. EBR. Tuo

acqui-

acquieui consilio, in primis polentariorum accedens rusticorum, & agricolarum casulas, uineas, prata, hortos, pomaria & agros, ubi labore fessos, & anhela siti pressos reperio. Qui à me uix salutati, adeò humaniter statim me resalutant, excipiuntq́; ut non satrapam, uel regem humanius salutatum, uel exceptum, quandoq; crediderim. Promittit hic nomine meo se uenditurum, ut melioribus uestiar indumentis, stiuam, sarculum, burim, aratrum, aut uomerem. Alter iugum, stimulum, rastrum, ligonem & harpen dentatum, ut ocreata compaream, & pedes, nuda ambulans, non lædam. Tertius quicquid pecunioli habet, caua manu porrigit. ut uittas emam, necq́; sic pansis capillis misera incedam. Additq́; si non suffecerit, putoriam falcem, aut messoriam. fœneratori, pro me impignoraturum, uel cylindrum, seu stipitibus parandis securiculam. Quartus lauãdam me committit mediastino, qui dum per Dionysiacas ferias, quicquid in arca habuit, ebrius consumpserat, uentilabrum mihi offert, uanum, bidentem, et furcam, ut amicè gratificari ebrietati queat. Vbi Oenophile, tam beneuolos comperior omnes, cõfestim manu stipulata illis promitto Ebrietatem nunquam defuturam. Et si libeat ea hora inebriari, cuncta adornent, ut sta-

Rustici ebrietatem excipiũt exulem.

Rusticorum instrumenta.

tim numinis mei uim cordibus eorũ infundam.

Ebriorum rusticorũ mores.

Quod cùm se fecerãt, tantus bibendi in eos irrepsit ardor, ut his, gliris instar, in mensa dormiuerit. Alter, ceu uetulus canis, udo gramine saginatus, ter comestã, quarto euomuerit. Tertius, Stentorea uoce, lupi rapacis instar, cõclaue totum ululatu compleuerit. Quartusq; ad arma furiosi hominis ritu, uel inermes secesserit.

OEN. Tibi, ô bona dea, cõgratulor: bonis certè auibus rem attigisti. Sed non alios quoq; accessisti? EBR. Manuarios artifices. OEN. Dij boni, quales isti se habuerunt? EBRI. Optima mea mancipia. Nam dum ad lanios uenio, & piscatores, trutinas mihi offerunt, pondera, cultros, secures, hamos, uncos, retia, nassas, & dolabra, supplicãtes, ut quæq; ultrò accipiã, & dextra illis faueam. Coqui item & pistores, necnon caupones, quicquid poßident, donãt: cacabos, ahena, cyrrhopodes, ueruа, craticulas, sartagines, patinas, ollas, mortaria, fuscinulas, scutellas, paropsides, coclearia, quadras, lances, cyathos, scyphos, œnophora, pateras, obbas, calices, phialas, canthаros, cymbia, & cados. Sic & pictores, sutores, calones, & tonsores, qui pecuniarum dedissent myriades, si per carniualia bacchantes, quid reliqui fecissent, tamen curtam spondet quisque suppellectilem:

Artifices ebrij sua exponunt.

Mechanicorũ instrumenta.

ſem,pugillares,ſtylos,colores,penicillos,ſpon gias,conchas,forfices,acus,ſubulas,mucrones, digitalia,forcipes,mallealos,incudes,folles,li mas,ſcaphia,ſerras, terebras, pelues , nouacu las,cucurbitulas,cotes,ſpecilla,uolſellus, pyxi des,mortariola, piſtillos,& tudiculas : quorũ animos uſq; tam beneuolos ſusq; deq; fero, be ne grata,quòd hos cõtra triariorum edicta,mi hi iuratos habeam, & ebrios uel ad Plutonis carceres omni hora fieri compererim. OEN. Eſt equidem ſatis, ſed quod in primis neceſſa rium erat, obticui. EBRIE. Quódnam? OEN. Vt acceßiſſes quoq; puteal,ut fori ſa lutaſſes procuratores,ſeu aduocatos:qui dum ſobrij ſunt,magnam ſapientiam,uitæq; integri tatem, à fronte promittunt : in receſſu aliud habẽtes,quod tibi ſummopere placeat. EBR. Iniuſſa acceßi,& cuncta mihi alba obtigerũt. OEN. Aſt quales ſe habuerunt? EBR. Vt optimos,ita quoq; in meum ſeruitium faciles: promiſerunt enim,ſe obiecturos omnem foren ſem latratum, cauſidicas rabulas in clientes, interlocutoria,diffinitiones,replicas,duplicas, defenſionales,corruptiones, ex ore boues, de collo lanas,cum theca graphiarios, calamos, atramẽtaria uaſa,cultellos,atq; libellos ; ut ſal tem Ebrietati ſuæ fideliter,dataq; opera inhæ-

Procuratores fori ebrij.

Demoſthenis inſtar.

rere queant. OEN. Lætaris ergo qui sic cuncta pro uoto impetras? EBR. Supra modum: sed denuò mihi iter fuit ad templũ, corde satis turbido. Num religio mihi horror est: & quòd suspitio mihi fuerit, templarios aut sacerdotes potius, omniũ esse modestißimos & sanctißimos. Ibi decenti habitu eos stantes uideo, inuocantes sæpius Dei adiutoriũ, & pro uiuentibus precantes sanctam pacem, pro defunctis æternam requiem, atq; pro uniuersis ueniã & misericordiam: sublata item quãdoq; uoce resonantes, quandoque bullientes ollæ instar magis obmurmurãtes quàm proferẽtes, sic ut nec ipsi se intelligant, nec item astantes. Hos Oenophile, duræ ceruicis mihi Stoas timui, accedens uelut qui assem elephanto præbet. Sed propediẽ uisa mea facie habitũ abijciũt lineũ, altaria deserunt, Deus in adiutoriũ in eum intẽde, Da pacem Domine, Requiẽ æternam, Deus ueniæ et humanæ salutis amator: illa omnia cessant: & Gaudeamus cantãt oẽs, in Domino. Nã resurrexit & adhuc nobiscum est Ebrietas, Alleluia. Quo audito Oenophile, ad me redij, uiresq; recepi, meosq; animosa blãditer salutaui mystes, q subitò libros suos manuarios (hos breues uocant, & rectè breues, nam uix aliquãdo ob breuitatem cernũtur) uendendos suadent, item hie

Sacerdotes ebrietati gaudent.

Cantus sacerdotum ebriorum.

Oraria ualde breuia habent.

rothecas,

rothecas,calices,uexilla,statuas,pulpita, asper gillum,campanulas,cymbula, cardelabre, cereos, lichnim pensilem, uasa sacra, acerram, thuribulum,baptisterium,tholos, analogium: atq; ea quoq; omnia,quæ summum cœli regem hominumq; parentem concernũt,& si usus postulet,altaria, uel totam basilicam, uenditionemq; sub hasta suadent,ut amplius lucrũ contingat,& magna præstò sit pecunia, qua triarios,qui ebrietatem sanctam exploderunt,impendio seueros,insidiose corrumpant. Et impetrent,ut in posterum ebrietas quoquò uersum cupit,libera & indemnis uagari queat, in primisq; suos sacerdotes,ut fidelissimos clientes, in delicijs habeat. Cẽsent nobilibus rem quoq; exponendam,ut etiam de suo addant, mittũtq; ad nobiles citissimum nũcium, qui illis singula pro uirili exponat. Nobiles ergo percepta re, cunctam pollicentur operam, deieranq; totos se in hoc futuros,ut triarios uel corrumpendo, uel armis uincant: ac uno ore,omnem promittunt rudentem,omnem conatum, extremamq; aleam. Siq; defuturum belli neruũ quis duxerit, exhibituros testantur oppida,arces,pagos, uillos,prædia,uinaria,syluas,agros,prata, saltus,nemora,equos,cathenas, annulos,macheras,catapultas,pugiones, mitras,chlamidas,c-

Nobiles ebri.

Belli neruis pecunia.

phestrides, uestes acupictus, undulatas, damascenas, serico, uilloso textas, charmasinas, diploides, aut omnem panopliam. Se enim omnium illorũ iacturam facilè passuros rati, dũmodo ipsi, qui per omnem uitæ periodũ inebriari assueuerint, etiam à pictis bacillis, suam ebrietatem iterum saluã, ac suis nitoribus restituam habeant. Quibus mi Oenophile, facilè subscripserim: me enim semper tam religioso cultu uenerati sunt, tanto amore complexi, tantoq; studio prosequuti, ut non gry quidem fecerint uxores suas, cùm pulcherrimas, tum etiã castissimas, nihil thori legitima pignora, paruiq; totã familiam, & omnem domus nitorem: ut item contempserint equitationes, aucupiũ, piscationes, ludos, iocos, risus, palæstram, cantus, modulationes quæ fistula cõstant, seu fidibus, & propriam quandoq; uitam, saltem Ebrietate contenti: non quæ de fruto contingit, ceruisia, mulso, sicera, aut uino operario: sed quàm ex optimo sorbent Falerno, Chio, Mamertino, Appiano, Corsico, Vogesiano, Alsatico, Caleno, Fũdano, Rhetico, Priuernatio, Messano, et Maßico, inuicem propinantes obbas, boccaulia, cymbos, hydrias, œnophoros, orcas, matulas, sextarios, fidelias, cupas, tinas, cados, lagenas, & magnos cantharos. OEN. Et quò denuò fabulæ

Nobiles propter ebrietatẽ uxores negligunt.

Vini multa genera.

Vasorum genera.

pulæ ſeceßit cataſtrophe? EBR. Vt à nobi-
libus meis, cœnobitas meos experiundum acce
derem: an, ſicut antea, mordicus ebrietatem ob-
ſeruarũt, eam adhuc religioſè colerent. OEN. Cœnobitæ E-
At quomodo ſe res habuit? EBR. Optimè. brietati fauēt.
Nam quiſq;, à ſummo ad infimum, Ebrietatis
cauſam diligentiſsmè defenſurum, ſtipulata ma
nu, & ad aram iuramento facto, pollicitus eſt
pater ſupremus concepta uerba, capite aperto,
digitisq; arrectis alijs prælegit, quem, uelut ſi-
mia, quiſque imitando aſſequitur. Prouincialis Cœnobitarum
Dominicanus, pater Chartuſianus, præceptor officiales.
Ciſtercienſis, prior Guilhelmitanus. Guardia-
nus nodoſo rudente Franciſcanus, Subprior,
Viceopiardianus, Cantor, Sacriſta, Cuſtos, Sub-
diaconus, Ceroferarius, Nouicius, & lacero ha
bitu Cucullatus frater uini pernicies: qui oẽs
fortitudinem mihi inculcant, & animoſitatem
prætendunt, promittentes, ne deſerar exul, an-
nuos daturos cẽſus, redditus, hierothecas, aras, Propter Ebrie
ſtatuas, ſanctorum reliquias, calices, cereos, a- tatem ſacra de
ſpergillum, libros orarios, bibliothecas, æra- ferunt.
menta, ampullas, humerale, albas, talare, mani-
pulos, ſtolas, & cum thure thuribulum. OEN.
Non eſt igitur quod amplius quenquam refor
mides. Nam optimos quoſuis tibi mancipatos
feciſti. EBR. Non: quoniã niſi Stoicos meos

haberem, nihil planè uel ſolacij, uel confidentiæ habere crederer, Oenophile. OEN. Quos Stoicos uelis, non intelligo? EBR. Quibus nulla niſi ſua placent, philautia cæcutientes, & qui impendio, nouam quandam, & inſolitam ſanctimoniam ac probitatem, inceſſu ac barba philoſophos ſimulant. Hos Verbi miniſtros uocant, aut tædioſo fermè titulo Prædicantes. OEN. Ecce bonos iſtos uentres, ac tui ſtudioſiſsimos uappas obliuioni tradideram. Sed non acceſsiſti eos? EBR. Poſt oēs, ut digniſsimos, ita quoq; maximè neceſſarios. OEN. At quales ſe profeſsi ſunt? EBR. Meos Zoporodorpides, aut (ſi uelim) meos aſotos, ſi citra aliorum offendiculū fieri poſsit: hoc eſt, ſi inebriari queant inter ſuos, non in propatulo, ſic enim meo nomine ſe deſerturos atteſtati ſunt Paulum ſuum. Cœnam ſuam dominicam, prandium ſumentes Vtellianum, abſq; bonis operibus fidem ſuam, ſatis in ſanctos blaſphemias, et ſi uſus poſtulet Chriſtum ſuum. OEN. Inebriantur & iſti, qui ſic philateria dilatant? & nouos Democritus agunt? EBR. In furorē quandoq; exagitat eos bibendi infatigabilis ardor, & Herculaneus ille ſcyphus. OEN. Sed in canonicis Decretis adnotatum ſcimus diſtinctione trigeſimaquinta, miniſtros templi abſtemios

Verbi miniſtri ebrij.

Predicantes quandoq; propter ebrietatē furioſi.

Eccleſiæ miniſtris uinū prohibitum.

ſtemios eſſe debere, ac ſiceram bibere, ne Ebrie tate grauentur corda eorum, & uigeant perpetuò ſenſus. In Canonibus item Apoſtolicis inculcatur epiſcopo aut diacono, ut aleam uitet & ebrietatem, niſi damnari ſtudeat. EBR. Valeant iſthæc omnia Pontificum decreta, nec tanti habent. Sed hoc decretum optimum cenſent, ut pro ſuo uelle quæq; liceant. Et ſuo Platoni propenſius innituntur, qui primo de Legibus, ebrietatem utroq; pollice commendat. Et Auicennæ, qui uomitũ ex ebrietate utilem ſcribit, quòd profundioris ſomni cauſa ſit, et uirtutibus animalibus aleuamentũ inducat. OEN. Sed quid denuò? quum omnia proſpera ſeſe tibi obtulerunt? EBR. Conſultum eſt, ut omnes qui mihi ſua nomine dederunt, multa in unum corradãt pecuniarũ talenta, quibus triarijs, uelut piſcibus homo, imponatur. OEN. Sed quem portum attigiſtis? EBR. Optatiſſimum: culpam enim omnem inuotalem iſtum cõcionatorem, qui mugitu ſua ex cathedra Ebrietatem deteſtatus eſt, reiecerunt, dicentes ſe illi fidem dediſſe, & ipſum ediuerſo inania uerba, quæ eos ſeduxerint. OEN. Sed interim in tuo luſum eſt corio, ſuſq; deq; fers illud? EB. Fero: innocentia enim prælibata, quicquid factum eſt, in aquam ſcribo: dummodo citra omnem

Et alea prohibita.

Ebrietas laudata et uomitus.

nem noxam hinc inde ambulare ausim. OEN. Ipsi autem triarij, te uenerari recusarũt? EBR. Minimè: sed togas, prætextas, galeros, secu rim, fasces, supercilia, fastus, pupillos, uiduas, prostratos, nocẽtes, accusatos, mulctatos, damnatos, & omnia quæ magistratum concernũt, se deserturos, nomine meo stricta fide promise rũt: notarioq; præsente, diploma erecturos, ut in publico magistratus palatio, in perpetuũ ui nis hauriendis asseruentur: in facti memoriam, aliquot stãnea iustæ magnitudinis flascula, quæ nunquam uino uacua, ne noctu quidem reperi ri debeant: saltẽ in hoc repleta, ut perfectè magistratus, ex publico ære, & dies & noctes inebriari poßit, omnigenis cupediarum lautitijs accedentibus: uelut ex piscibus, salmones esse possunt, anguillæ, trutæ, mugiles, funduli, carpiones, lupi, & moruæ. Ex cõchilibus, ea triginta genera quæ Plinius recenset. Ex quadrupedibus, cerui, biuri, capreoli, lepores, cunicu li, hœdi, agni, porcelli. Ex uolatilibus, perdices, phasiani, coturnices, turdi, cristatæ, capo nes, meropes, pygargi, pauones, gallinæ, et gal li gallinacei: semper noua coquendi arte subsequente. OEN. Bene faciunt, mi bona dea: nam in te grauiter deliquerunt. Ast nõ sciuisse oportuit? in re tam ardua sic clamoso cœnobitæ aut

Senatores ebrij.

Apparatus magistratus.

tæ aut philosophastro boãti, non esse fidendũ? Platoni fortaßis quoq; subscripserunt, qui hãc Rempublicam saluam futurã prædixit, quæ à philosophis regeretur. Nesciẽtes proculdubio quàm pestilentes fuerint Romæ uterque Catonum quòd philosophiæ studuerant. Bruti quoque, Caßij, Gracchi, M. Antonius, & ipse Cicero. Tamẽ si te nunc uenerãtur, & peccatum in te pœnitentia diluunt, ollæ uestigium in cinere confundito. EBR. Confundam. OEN. De talentis uerò quid actum est? corraserunt quædam? EBR. Corraserũt. Et quia sapientiam testudinibus, uel Iouẽ ipsum, etiã iratum, hastis oppugnandum aureis, nouerunt mystes mei, ea talenta uelut offam in fauces illorũ iniecerunt, quo in posterum benigniores in me sint, ampliusq; nihil effrenatorum uerborum effutiant, latratu quiescentes. OEN. Ergo ab omnibus curis iam es soluta, nihil reformidans amplius, nihilq; timens? fraudis nihil imminet deinceps, nihil odij uel insidiarũ? EBR. Nihil prorsus: sed omnia pacata sunt, & in cardine uersatur res omnis: superest tãtũ ne ingrata sim, ut pro tã salubri consilio, quo subleuata, oẽs meos acceßi mystes, tibi gratias agã. OEN. Nõ est quod gratias agas, ex debito tibi cõsultũ ducito. Nam patet uel ex Platonis ad Architam

Philosophi reĩ pub. nociui.

Sapientia auro superatur.

para-

paranætico, nullũ nostrûm sibi natum, sed quẽuis alteri, pro posse, suppetias debere: atq; Deum esse, iuuare mortalem mortali. Scis enim quod talem semper te fecerim, ut me tibi amicum facilè perciperes. Quid enim amicus est aliud, quàm arte singulariq; industria, cura atq; diligentia uitam iamiam fugientem restituere? Sicut compluries in te præstiti, & in effectũ deduxi: quod his uerbis asserunt, ἄνθρωπος ἀνθρώπου δαιμόνιον, quod est homo homini deus. Læta igitur esto, iã tuos accedens Lichnobios, Ventres, Helluones, Bibones, Irides, Lurcones, Vappas, Grumnios, Voragines, Barathra, Asotos, Merobibas. Alcinoiq; totum collegium. Ego aliò uocor, in breui fortè rediturus. EBR. Accedam quum redieris: quæ dicenda restant, plenius absoluemus: nunc uale.

Nemo sibi natus.

Deus quid.

Amicus quid.

Homo homini Deus.

BASILEÆ EX OFFICI-
NA HENRICPE-
TRINA.

CANDIDO LECTORI S.

HAbes in hoc indice, candide Lector, nõ omnia quę in his ſermonum Conuiualiũ libris continentur, ſed magis ſelecta tãtum. Eo igitur candore ſingula accipe, quo nos congeſsimus. Vale bene, lector amice.

INDEX IN SERMONES CONVIVALES.

A

Amy-

Aulus

Ebrietas

Hanni-

I

K

L

Matres

Partus

Plu-

Serui

Vinum

FINIS.

ERRATA.

Pagina 4. uersu 9. lege minimè. pag. 4. uersu 25. lege Pindaricum. 6. 14, ætas. 7. 12. conuiuiū. 10, 23. Iuueni. 14. 23. quum. 22. 3. degustarit. 23. 5. pulicis. 37. 1. ut. 58. 26. bile. 60. 4. Hos. 79. 5. sedis. 83. 22. mares. 90. 4. uirunculi. 101. 17. ædium es. 105. 6. ualete. 124. 2. millia. 133. 1. scyrpi. 148. 11. Homerico. 156. 14. calumniator es. 169. 11. faciat. 180. 14. uernaliq;. 180. 24. aëra. 195. 27. athletam. 205. 14. afflictam. 109. 23. cōclamatum. 216. 1. pictas.

FINIS.